DE VITAE LYSIAE
ORATORIS TEMPORIBUS DEFINIENDIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

BERNARDUS PRETZSCH

CIZENSIS.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN).

MDCCCLXXXI.

De Lysiae oratoris Attici vita quanquam plurimi atque ii doctissimi viri iam inde a Ioanne Tayloro, qui primus res Lysiacas accuratius enarravit, diligentissime disputaverunt, tamen non modo nulla hodie est consensio inter eos, penes quos arbitrium est et ius de his rebus iudicandi, sed ad tantam desperationem rem adductam videmus, ut Fr. Blassius in libro: „Die attische Beredsamkeit von Gorgias bis zu Lysias" (Lpz. 1868) p. 336 dicere potuerit: „Im übrigen ist diese Frage (de Lysiae anno natali) so beschaffen, dass ein sicheres Resultat sich nicht mehr erreichen lässt." Quodsi novam nos commentationem de Lysiae vitae temporibus definiendis publici facimus iuris, causas nobis afferendas esse arbitramur, quae iusto iure nos egisse demonstrent. Ac duae potissimum sunt causae, una quod viros doctos usque ad hoc tempus in Lysiae vita nonnulla in falsam partem accepisse persuasum habemus, altera quod proximis annis magnus numerus commentationum de Lysia eiusque orationibus in publicum emissus est, ex quibus nostrae disquisitioni clarissimum lumen adhiberi cognovimus.

Antequam autem ad rem ipsam aggrediar, operae pretium esse mihi videtur, pauca praemittere, ex quibus appareat, qui potissimum viri docti inde a Tayloro rebus Lysiacis enarrandis enodandisque operam navaverint. Atque I. Taylorus quidem, qui Lysiae orationes bis edidit (Lond. 1739 et Cantabr. 1740), veterum auctoritatem secutus Lysiam ol. 80,2 — anno 459 a. Chr. n. natum esse posuit; Taylori vitam I. I. Reiskius, quem de textu Lysiae orationum recensendo optime meritum esse inter omnes constat, in editionem „Oratorum Graecorum vol. VI. p. 100—158 (Lips. 1772) recepit. Assensus est I. H. Bremius, qui Lysiae et Aeschinis orationes selectas cum commentario Latine scripto edidit (Goth. et Erford. 1826) iisque brevem Lysiae vitam praemisit.

I. Franzius quid praestiterit dissertatione „de Lysia oratore Attico“ Graece scripta (Norimb. 1828) equidem nescio, cum libellum inspicere non potuerim; attamen ne illum quidem quidquam novi de Lysiae anno natali proposuisse perspicitur ex tabula orationum secundum temporis ordinem descripta, quam in editionem Lysiae (Monach. 1831) p. 249 sq. inseruit. Commemoramus deinde M. S. F. Schoellium („Geschichte der griechischen Litteratur“ (Berol. 1828—30) I, p. 368 sq.) C. G. Kruegerum, qui Clintonis Fastos Hellenicos edidit (Lips. 1830.), A. Westermannum (Geschichte der Beredsamkeit in Griechenland und Rom“ (Lips. 1833—35) I. p. 73 sq.). Sequitur L. Hoelscherus, qui diligentissimam commentationem „de vita et scriptis Lysiae oratoris“ (Berol. 1837) composuit. Tum A. Boeckhius in prooemiis indicibus lectionum univ. Berol. hib. 1838/39 et aestiv. 1839 praemissis, in quibus de Platonis Republica disseruit, multa de Lysiae aetate disputavit. Adiungamus C. O. Muellerum („Geschichte der griech. Litteratur bis auf das Zeitalter Alexanders“ (ab Eduardo fratre ed. Vratisl. 1841), vol. II., p. 369 sq.) Tum vero Fr. Vaterus commentatione quae „de Lysiae aetate“ inscripta est (Rerum Andocidearum particula II. in „Jahns Archiv“ vol. suppl. IX. (1843), p. 165 sq.) rationibus acutius quam verius subductis notationem temporum Lysiacorum a veteribus traditam plane abiciendam statuit et Lysiam ol. 87, 1 — a. 432 natum esse studuit comprobare. Novam deinde proposuit sententiam C. Fr. Hermannus („Gesammelte Abhandlungen und Aufsätze.“ Gotting. 1849, p. 15 annot.): Lysiam ol. 84, 1 — a. 444 natum esse. Interea Vateri sententia magnopere adiuta et confirmata est, cum A. Westermannus, quem antea veterum auctoritatem secutum esse commemoravimus, in praefatione editionis Lysiae orationum (Lips. 1854 apud B. Tauchnitium) ad Vateri partes accederet et complura afferret argumenta quibus sententiam suam fulciret. Quanquam autem non deerant qui veterum sententiam probarent, velut G. Stallbaumius (cfr. „Lysiaca ad illustrandam Phaedri Platonis originem.“ Lips. 1851. et Proll. in Platonis Phaedrum), velut praeter ceteros J. F. Rademacherus, qui dissertatione

„de Lysiae oratoris aetate“ Berol. 1865 edita veterum auctoritatem defendere et argumenta adversariorum refutare studuit, tamen haud facile quisquam inventus est cui persuaderent. Ac maior deinde perturbatio facta est, cum Fr. Blassius a. 1868 in libro, quem p. 3 laudavi, p. 334 Lysiam ol. 85, 1 — a. 440 natum esse se suspicari diceret. Tum vero A. Schoene, postquam fontes denuo pervestigavit (cfr. „Die Biographien der zehn attischen Redner. I. Lysias:“ Fleckeiseni Annal. tom. CIII. 1871, p. 761 sq.) ad veterum traditionem revertendum statuit, cui L. Kayserus (Fleckeiseni Ann. tom. CV. 1872, pag. 248) assensus est. Neque tamen haec sententia hodie omnibus probatur, verum eo videtur perventum esse, ut suam quisque de Lysiae anno natali habeat opinionem. Sic videmus R. Nicolaium („Griechische Litteraturgeschichte“. edit. II. Magdeb. 1873/78. vol. II, p. 367) Lysiam ol. 86, 2 — a. 435 natum esse censere miro quodam argumento adductum, sic Th. Gleinigerum (cfr. Herm. vol. IX, p. 169 (1875) eum intra a. 453 et 448 natum esse ex sua computatione suspicari.[1])

Videmus igitur, qualis sit status huius quaestionis. Nunc ad id quod nobis proposuimus accedamus. Atque ut dissertatio nostra certa ratione ac via procedat, hac utamur dispositione, ut primum veteres vitae Lysiacae fontes denuo inspiciamus eorumque fidem perpendamus, deinde de anno natali Lysiae definiendo disputemus, tum vitam oratoris e fontibus contexamus. Ceterum, ut Franckeni verbis utar (Comment. Lys. praef. p. VIII.), si quae sunt quae ab aliis iam occupata tanquam mea protulerim, quod etsi sedulo vitare studui, fieri tamen posset propter magnum numerum criticorum qui in Lysia operam po-

---

[1]) Ceterum R. Rauchensteinius, qui quantopere editione selectarum Lysiae orationum (Berol. apud Weidmannos) oratoris interpretationem adiuverit, nemo est qui nesciat, in I. et II. editione (a. 1848 et 1853) veterum auctoritatem amplexus, in III. et IV. edit. (1859 et 1864) Vateri argumentationi assensus est; in V. edit. (1869) C. F. Hermanni sententiam accepit, postremo in VI. et VII. editione (1872 et 1876) rursus ad pristinam revertit sententiam.

suerunt, veniam mihi peto lubensque iis inventionis laudem si qua fuerit concedo.

Atque primum quidem dicendum est de veteribus scriptoribus qui nobis Lysiae vitam conscriptam reliquerunt. Quorum omnium princeps est Dionysius Halicarnassensis rhetor Graecus, qui Augusti temporibus plerumque Romae vixit, cuius inter rhetorica scripta exstat adhuc liber qui *περὶ ἀρχαίων ῥητόρων* inscribitur. Quo in libro de Lysia quoque summa diligentia ac doctrina disseruit Dionysius et primum vitam, deinde virtutes illius oratorias exposuit. Deinde apud Plutarchum qui fertur in libro qui vitas decem oratorum continet vitam Lysiacam invenimus. Tum Photius in bibliotheca c. 262. (vol. II. p. 489. ed. I. Bekker. Berol. 1824) de vita et scriptis Lysiae disputat. Denique Suidas et Eudocia in lexicis s. v. *Λυσίας* pauca narrant.

Quaeritur quibus ex fontibus vitae scriptores hauserint. Ac Dionysium quidem antiquis et iis optimis usum esse fontibus inde cognoscitur quod ipse Theophrastum (de Lys. c. XIV. p. 483. Reisk.) et Callimachum, (de Isae. VI. p. 594. de Din. I. p. 630 R.) attulit. Posuerunt autem operam in describendis veterum scriptorum vitis Peripatetici et praecipue Alexandrini qui *πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων* confecerunt, quibus in tabulis, „de cuiusque scriptoris nomine, aetate, patria, genere, magistris, omni vita, librorum fabularumve inscriptionibus, argumentis, temporibus breviter disputabatur.“ [1])

Exsistit autem hoc loco quaedam quaestio difficilis, quae ratio intercedat inter ceteras Lysiae vitas et Dionysiacam. Ac de Plutarcho quidem ut primum disseramus, postquam i. A. t. Westermannus (praef. edit. libri vitarum X oratorum qui vulgo Plutarchi fertur [Quedl. 1833], p. 1—22. Quaestt. Demosth. IV. p. 56—71) de vitis decem oratorum accuratissime disputavit et Arn. Schaeferus peculiari commentatione de his vitis (Dresd. 1844) uberius in eum librum inquisivit, nemini, opinor, non persuaserunt, illas vitas a Plutarcho non esse scriptas.

[1]) cfr. M. H. E. Meier: „Commentatio I. de Andocidis quae vulgo fertur contra Alcibiadem oratione in opusc. acad. vol. I., p. 88 sq. — Fr. Ritschl: Die alexandrinischen Bibliotheken.“ O. Schneider: Callimachea II., p. 297—322.

Quaeritur cui auctori attribuendus sit is liber. Illud primum admonendum est binas in quaque vita partes esse distinguendas. Quarum altera ab auctore continue scripta oratoris cuiusque vitam breviter adumbrat, altera accessiones varias ex diversis fontibus excerptas, minime inter se cohaerentes, temere in unum corpus congestas continet, quibus quae in priore parte scripserat auctor saepe correcta, nonnunquam eversa sunt: ex quo efficitur, secundae parti non aequam fidem attribuendam esse ac priori. (cfr. Schaefer. l. l. Th. Burckhardt: „Caecili rhetoris fragmenta" p. 48 sq.) Iam vero hoc libenter Schaefero concedimus (cf. Bergkii et Caesaris Annal. 1848. p. 244 sq.), has decem vitas et post Dionysium Halicarnassensem et ante Philostratum (saec. II. p. Chr. n.) a grammatico quodam esse conscriptas, deinde magis magisque in grammaticorum scholis auctas et vel forte aliqua vel librariorum errore inter scripta Plutarchea esse illatas. Dionysium enim a Pseudo-Plutarcho saepe excitatum, Philostratum in sophistarum vitis illo libro usum esse recte admonuit Schaeferus. Quae si recte disputata esse concedo, intelleges, opinor, quid iudicem de sententia Taylori, qui auctorem illius libri Plutarchi nomine emendicato ex Photii penu Lysiae vitam conscribillavisse autumavit (Vit. Lys. apud Reisk. O. G. VI. p. 134), tum quid de A. Schoenii sententia quam in annal. Fleckeis. 1871, p. 761 sq. proposuit censendum mihi videatur. Sed de Schoenio plura adiciamus.

A. Schoene disquisitione de fontibus vitae Lysiacae ab integro instituta hanc professus est sententiam (p. 787): fontem antiquissimum et optimum nobis exstare non apud Dionysium, sicut omnes fere v. d. putabant, sed apud Plutarchum personatum; Dionysium et Photium eundem fontem quem Plutarchum vel ex Plutarcheo excerptum ante oculos habuisse videri; Suidam et Eudociam e Dionysio hausisse. Quanquam autem L. Kayserus (cfr. p. 5) Schoenii sententiam comprobavit, tamen haud pauci exstiterunt qui illius argumentationem quantum possent impugnarent atque redarguerent. Sic Seeligerus contra disputavit dissertatione inaugurali: „De Dionysio Halic. Plutarchi qui vulgo fertur in vitis X oratorum

auctore“ Lips. 1874 edita [1]). Tum vero hanc rem denuo suscepit et paene confecisse mihi videtur A. Zuckerus, qui commentatione pereleganti quae inserta est in ‚Acta Seminarii philologici Erlangensis‘ a. 1877 edita, cum quae ratio inter vitas Lysiae Dionysiacam, Pseudo plutarcheam, Photianam intercederet, quaerendum sibi sumpsisset, Schoenii sententiam tam acriter refutavit, ut equidem periculum non esse existimem, ne quisquam rursus eandem ac Schoenius ingrediatur argumentandi rationem. Tantum dilucide patet: primum auctorem vitarum X oratorum non vetustiore fonte in describènda Lysiae vita usum esse quam Dionysium; deinde vitam Pseudo-Plutarcheam ex Dionysiaca quam nunc habemus exscriptam non esse, id quod verba utriusque inter se accurate collata satis luculenter demonstrant. Sed unde sua hauserit personatus Plutarchus, valde adhuc ambigitur et paene diiudicari non posse videtur. Ac Zuckerus quidem falsum Plutarchum illam peculiarem de Lysia commentationem, quam Dionysius ipse se confecturum esse promisit (de Lys. c. XIV. p. 485 R.), habuisse putat. Hoc tamen unum Zuckeri sententiae obstare mihi videtur, quod A. Ballheimerus recte admonuit (cf. „De Photi vitis X oratorum.“ Diss. inaug. Bonn. 1877, p. 32): „Uni hae decem vitae debentur auctori primario eique si placet grammatico. Dionysius autem non scripsit nisi septem vitas, et ne has quidem, Seeligerum si sequeremur, omnes, sed partem tantum adhibuisse decem vitarum auctor credendus esset.“ Et sic ad difficillimam de oratorum Atticorum numero denario quaestionem delabimur; quam etsi multi iam temptaverunt, tamen nemo adhuc ita dissolvit ut omnibus persuaserit. Optime de ea quaestione disseruit M. H. E. Meierus (Comment. de Andocidis quae vulgo fertur orat. contra Alcibiadem IV. in opusc. acad. vol. I, p. 120) omnesque, qui postea in eandem rem inquisiverunt, illius commentatione quasi fundamento quo

---

[1]) Ipsum libellum inspicere mihi non licuit, sed ex Fr. Blassii censura dissertationis (Jen. Litteraturzeitung 1874, p. 730) cognovi, Seeligerum ita de his rebus disputavisse ut satis haberet priorem sententiam repetere ac renovare et pro certo dicere: Photium ex Ps.-Plutarcho, hunc ex Dionysio sua excerpsisse.

niterentur usi sunt. Quamobrem liceat mihi summam illius disputationis paucis exponere.

Meierus postquam initio nomina eorum oratorum Atticorum qui in canonem recepti sunt distincte constituit et Antiphontem, Andocidem, Lysiam, Isocratem, Isaeum, Aeschinem, Demosthenem, Hyperidem, Lycurgum, Dinarchum illo delectu esse comprehensos veterum testimoniis allatis demonstravit, primum Rankii sententiam, qui (De Aristophanis vita p. CXII sq.), cum Ruhnkenium recte notavisset, quod illum delectum ab Aristarcho et Aristophane Alexandrinis habitum esse putaverat (Histor. critic. oratt. Graec. p. 169) „illam decem oratorum coniunctionem sine doctorum virorum conatibus, sed quasi sua sponte inter ipsos Athenienses ortam esse“ dixerat, „quia decem oratores a Solone essent instituti,“ reiecit refutavitque, tum antiquissimum eorum qui decadis mentionem fecissent esse Caecilium Calactinum ostendit (p. 128), Siculum rhetorem, qui Augusti temporibus Romae eloquentiam non sine laude docebat et item ac Dionysius Halicarnassensis aequalis scripta rhetorica confecit, quorum uni *περὶ τοῦ χαρακτῆρος τῶν δέκα ῥητόρων* inscriptum erat. „Quid? quod omnia suadent,“ inquit Meierus p. 140, „ut apud quem, quantum ex superstitibus scriptoribus iudicari licet, prima canonis memoria exstitisse videtur, ab eodem Caecilio atque eo ipso in libro quem is de indole decem oratorum scripsit rem primum motam et demonstratam esse arbitremur? Huius viri auctoritas, cui etiam in orationum fide aestimanda aliquid est tributum, tantum valuisse videtur, ut non statim quidem aequales, at posteri tamen plerique omnes in eius sententiam discederent.“ Et haec quidem Meierus; etiamsi vero Th. Burckhardtus illius sententiam comprobavit [1]), tamen equidem iudicandi libertate

---

[1]) Caecil. rhet. frgm. p. 10 sq. Videas praecipue p. 13: „Liber de X oratoribus historia quam dicimus eloquentiae Atticae fuit: non autem omnium oratorum eloquentiae, sed eorum tantum, qui et orationes scriptas reliquerant et tum temporis magni inter rhetores habebantur: cfr. Dionys. de Dinarch. p. 629. Itaque Caecili negotium erat, et certum quendam numerum eorum qui iam summi habebantur constituere et iudicium quod vulgo de eis ferebatur cum singula inquireret accuratius definire.“

quam ipse Meierus nobis concessit cum dicit: „Verum de Caecilio canonis auctore alius aliud sequatur iudicium“ libenter usus arbitror hanc potissimum causam v. d. sententiae obstare, quod Caecilius librum suum inscripsit *περὶ τοῦ χαρακτῆρος τῶν δέκα ῥητόρων*. Hic enim articuli usus, quo illi X oratores ut iam noti celebresque significari mihi videntur, in eam opinionem me adduxit ut Caecilium numerum denarium in fonte invenisse putem. Quis autem fuerit ex quo Caecilius hauriret, diiudicare me nec posse nec audere ingenue fateor. Sed tamen Ballheimeri coniectura, quam nuper l. l. p. 32, annot. 1 protulit, magnam in se habet probabilitatis speciem valdeque mihi placuit. Didymum enim Alexandrinum, quem commentarios in oratores Atticos scripsisse scimus, et Dionysio decem fere annis et pluribus etiam Caecilio maiorem, fuisse canonis auctorem et denarium illum oratorum numerum a Didymo primo adhibitum Dionysio illius aequali ignotum, Caecilio minori natu acceptum fuisse, non sine verisimilitudine suspicatur Ballheimerus.

Sed ut redeat unde aberravit dissertatio nostra, paucis incohatam rem absolvamus. Restat ut de Photio, Suida, Eudocia disseramus, quibus ex fontibus quae de Lysiae vita tradiderunt excerpserint. Ac de Photio quidem quam Schaeferus potissimum defendit sententiam (Zeitschr. f. Altertumswissenschaft. ed. Bergk. et Caesar. 1848. p. 244 sq.) quamque postea, ut alios omittam, etiam Westermannus secutus est [1]), eam Schoenius illa disputatione quam saepius laudavi prorsus abiciendam esse demonstrare studuit, eo tamen eventu ut assensum non modo paene nullum assequeretur, verum etiam multos excitaret adversarios, qui plerique Schaeferi auctoritatem restituerunt. Tantum vero nescio an omnibus hodie persuasum sit, Photium cum Dionysio nequaquam cohaerere, sed in biographicis quidem a Plutarcho falso vel a fonte Plutarchei simillimo pendere.

---

[1]) cfr. Quaest. Demosth. IV., pag. 74: „Photius plerumque ad verbum exscripsit Plutarcheas vitas ita ut vel errores qui insunt corrigere plane non curaret, nonnunquam etiam eundem rerum vitiosum ordinem servaret.“

Postremo Suidas et Eudocia quae de Lysia narrant unde hauserint, breviter comprehendam. Suidam neque Dionysium neque falsum Plutarchum exscripsisse, ut vulgo putabatur, sed ex Hesychio Milesio vel potius ex epitome Hesychiani libri sua hausisse et ex eodem fonte quo Suidam, non ex ipso Suida Eudociam Lysiae vitam excerpsisse H. Flachius quidem demonstrare studuit (cfr. „Untersuchungen über Eudokia und Suidas" Lpz. 1879, p. 35 sq.), verum in re obscura iudicium cohibeo [1]). Tantum dico: de Eudocia falsa statuisse Flachium videri. Nam Eudocia quae vocatur, si modo genuinum est opus, solum meliorem Suidae codicem habuisse, ab omnibus paene hodie conceditur, propterea eam in nostra disquisitione in fontium numero non citabimus.

Veniamus nunc ad alterum locum, ut de Lysiae anno natali definiendo disseramus. Ac primum quidem videamus, quid veteres scriptores de ea re tradiderint.

Dionysius Halicarnasseus, ut ab eo ordiamur qui nobis optimus auctor esse videatur, de Lysiae anno natali ille quidem nihil expresse dicit, sed hoc tantum narrat: Lysiam Cephali filium Syracusanis parentibus Athenis esse natum et puerum quindecim annorum duodecimo ante bellum Peloponnesiacum anno Thurios commigravisse. Quibus ex verbis apparet, Dionysium Lysiam ol. 80, 2 — a. 459/58 natum esse putare, id quod ipse aliis locis confirmat, sic de Lys. c. XII. p. 479 R; de Isocr. I. p. 534. R. Nunc excitamus auctorem vitarum X oratorum. Qui (Westermann. *Βιογράφοι* p. 241. — Fr. p. 835) haec nobis tradit: Lysiam Cephali filium Athenis natum esse *ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος τοῦ μετὰ Φρασικλῆ* (*Φρασικλείδη* iam dudum correctum) *κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ δευτέρας* (sic libri!) *ὀλυμπιάδος*. Atqui Philoclem ol. 80, 2, non ol. 82, 2 Athenis praetorem fuisse, ut alia missa faciamus quae apud Schoenium (l. l. p. 764) collecta reperies, ex argumento Agamemnonis Aeschyleae,

---

[1]) Vid. A. Daub: „De Suidae biographicorum origine et fide" in Fleckeiseni Annal. suppl. vol. XI. (1880) p. 401 sq.

quae illo anno docta est, scimus. Itaque verba *καὶ δευτέρας*, quae iam Meursius (Attic. lectt. IV. 14. 15) delevit, abicienda esse nemo non videt, quod mendum facile ex praecedentibus verbis *δεύτερον ἔτος* oriri potuit. Habemus igitur hic accuratissimam temporis notationem. Photius et Suidas neque archontis nomen neque olympiadis annum distincte notaverunt, sed hoc unum tradunt: Lysiam XV annos natum Thurios se contulisse [1]). Neque vero mirum est, quod talem temporis notationem omnes vitae auctores praebent, etenim iam Fr. Vaterus recte admonuit, veteres in rerum narratione has temporum descriptiones adhibere solitos esse ut notarent, quot annos natus quis quid fecisset aut quot annis maior esset quis alio: tempus nostro more accuratius definire non necesse habuisse.

At hac ipsa re Vaterus et qui illum secuti sunt, quia Lysiam ol. 80, 2 natum esse non posse nobis persuadere voluerunt, ita usi sunt, ut Dionysium hoc tantum in fonte invenisse dicerent, Lysiam XV annos natum Thurios profectum esse; ipsum proprio Marte annum quo Athenienses coloniam, cuius Lysias particeps esset, deduxissent, deinde Pseudoplutarchum Praxitelis archontis nomen adiecisse. Quod utrum recte disputaverint necne, tum optime disceptabimus, cum argumenta quae ad labefactandam veterum auctoritatem proposuerunt examinaverimus. Percenseamus igitur, quae recentiores viri docti Vatero duce contra traditum Lysiae annum natalem disseruerunt.

Ac maxima quidem argumenta quibus sententiam defenderent iis praebuit Plutarchus personatus. Qui in Andocidis vita (Westerm. *Βιογ.* p. 239, 45. p. 835 A. Fr.) haec habet: „*ἄρχει δ' αὐτῷ τῆς γενέσεως ὀλυμπιὰς μὲν οη΄, ἄρχων δ' Ἀθήνησι Θεογενίδης, ὥςτ' εἶναι πρεσβύτερον αὐτὸν Λυσίου ἔτεσί πού ἑκατόν.* Andocidis annum natalem a Plutarcho

---

[1]) Quod Photius solus haec verba habet: *ἔτος ἑκκαιδέκατον ἦγε*, ceteri vero *ἔτη γεγονὼς πεντεκαίδεκα*, nihil interesse inter has duas annorum computationes vix dignum videatur quod hic annotemus; attamen L. Hoelscherum (de vit. Lys. p. 17) et A. Schoenium (l. l. p. 764; ceterum vid. p. 768, not. 6) hoc loco mirum quantum erravisse videmus.

falso plane corruptum esse hodie inter omnes constat (cfr. Meier: opusc. I, p. 96 sq. Vater: Quaestiones Andocideae part. I. A. Kirchhoff: Herm. vol. I, p. 1 sq. (1866). Fr. Blass: Att. Beredskt. I. p. 241). Vaterus autem quanquam Plutarcho in Andocidis anno natali constituendo omnem abrogavit fidem, tamen eiusdem scriptoris testimonium tanti aestimavit, ut, quia ille Andocidem undecim (nam *ἕνδεκα* pro *ἑκατὸν* coniecit V.) annis Lysia maiorem fuisse tradidit, inde concluderet, Lysiam non ol. 80, 2, sed ol. 87, 1 — a. 432 natum esse. Quae argumentatio quam invalidis nitatur fundamentis, facile potest demonstrari. Primum illa accurata temporis definitio in secunda vitae parte inest, quam valde diversam a priore neque aequa fide dignam esse p. 7 admonuimus. Tum perspicuum est illam computationem certi annorum intervalli a vitae auctore solum adiectam esse, quod Andocidem ol. 78, 2 et Lysiam ol. 80, 2 natos esse persuasum habebat, quos inter terminos decem vel undecim annorum spatium interest. Sed multo verisimilius mihi est, illa verba (*ὥςτε — ἑκατόν*) e margine temere in contextum irrepsisse; nam prorsus rhetoris recentissimi genus dicendi redolent. Utut vero haec res se habet, si Andocidis annum natalem viginti fere annis prorogandum esse concedere cogimur, tamen ad eam audaciam progredi non debemus, ut etiamtum illud inter duos oratores temporis spatium retineamus. Quamobrem etiam Meieri coniectura supersedere possumus, qui totum locum sic scripsit: *Ἀρχηγὸς δ' αὐτῷ τῆς γενέσεως κτλ . . . ., αὐτὸς δὲ κατὰ τὴν πδ' ὀλυμπιάδα ἐγεννήθη, ἄρχοντος δὲ Ἀθήνησι Λυσανίου, ὥς τ' εἶναι πρεσβύτερον αὐτοῦ Λυσίαν ἔτεσί που ἑκκαίδεκα*, nam audacius quam verius mutat v. d. Praeterea si illud *ἑκατὸν* mutandum est, maiore probabilitate in *δέκα* vel *ἕνδεκα* mutatur; recte enim Hoelscherus p. 13 illud *τον* in verbo *ἑκατὸν* ex insequenti *τούτου* facile oriri potuisse monuit. G. Stallbaumius quod, quanquam Lysiam ol. 80, 2 et Andocidem ol. 78, 2 natos esse voluit, tamen omnia optime se habere putavit, si illo loco haec legerentur: *ὥςτ' εἶναι πρεσβύτερον αὐτοῦ Λυσίαν ἔτεσί που δέκα*, non est quod hunc mirum errorem pluribus redarguamus.

Iam vero idem Pseudoplutarchus novas praebet difficultates, qui, cum in ipsa Lysiae vita oratorem ol. 80, 2 natum fere octogenarium, ergo circiter ol. 100 de vita decessisse dicat (W. B. p. 242, 37. p. 836 A. Fr.), tamen orationes pro Iphicrate Atheniensi scriptas Lysiae attribuit, quas Dionysius Halic. suppositicias iudicavit (de Lys. c. XII. p. 479/80 R.). Atque illi Pseudoplutarchi testimonio multo maiorem quam Dionysio auctoritatem tribuens Vaterus illum compilatorem ipsum duas cognovisse temporum notationes statuit. Iam quaeramus diligentius de his orationibus. Atque ut primum Dionysii iudicium proponamus, ille rhetor peritissimus eloquentiae Atticae duabus potissimum de causis orationes Iphicrateas Lysiae abiudicandas arbitratus est, quarum altera haec est, quod hae orationes prorsus abhorreant ab illa venustate, quam Lysiae propriam esse putat. Alteram vero causam et eam gravissimam repetivit Dionysius ex temporum computatione. Cum enim illa actio, quam Harmodius quidam contra Iphicratem de statua instituit, ol. 102,1 – a. 371 acta esset, facere non potuit Dionysius quin eam orationem, qua Iphicrates se contra Harmodium defendit quaeque inter Lysiacas ferebatur, adulterinam iudicaret. Alteram autem orationem, qua Iphicratem crimen προδοσίας ab Aristophonte quodam allatum propulsavisse videmus, eo magis a Lysia abiudicavit, quod ea actio ol. 106,3 — a. 354, viginti fere annis post eius mortem, sicut ipse addit, instituta est. Sed Vaterus, cuius ad definiendum Lysiae annum natalem permultum interrerat genuinas esse has orationes, Dionysii vituperationem dictionis ita se reicere posse putavit, ut necessario orationes pro Iphicrate velut fortissimo et protervo quodammodo milite scriptas esse alio dicendi genere atque orationes pro agricolis et opificibus compositas diceret. Quanquam autem hanc in partem multa acute disputavit, tamen, ut colorem dictionis aliis in orationibus alium esse concedo, ita Lysiam illa gratia ac venustate, quam Dionysius et omnes sine ulla dubitatione eius propriam esse et iudicaverunt et iudicant, adeo destitutum esse, ut talia scriberet qualia orationum Iphicratearum fragmenta nobis adhuc ostendunt, persuadere mihi non potui.

(Cf. Francken: Commentat. Lysiac. p. 5. Blass: A. B. I, p. 335.) Sed quid plura? Equidem arbitror, quicunque fragmenta adhuc exstantia accurate perlegerit et cum genuinis Lysiae orationibus comparaverit, eum nullo modo non esse intellecturum, Iphicrateas esse a Lysia abrogandas. Unde efficitur, ut Vaterus falso ex harum orationum temporibus argumenta sumpserit, quibus suam de Lysiae aetate opinionem confirmaret.

Tum haec quoque res Vaterum plane fefellit, quod Plutarchus qui vulgo fertur, postquam Lysiae vitam usque ad mortem narravit, haec adiecit: *γεννηθῆναι δέ φασιν ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος* (W. B. p. 242,37. — p. 836 A. Fr.) Quo ex additamento et imprimis ex verbo *φασιν* Vaterus quidem concludendum putavit, ipsum vitae auctorem in fontibus diversas temporum descriptiones invenisse. Errat autem v. d. cum putat, his verbis causam afferri quae explicet qua ratione fieri potuerit ut Lysias Demosthenem infantem videret. (Praecedunt enim in vitae contextu haec: *εἶδε δὲ Δημοσθένη μειράκιον ὄντα.*) Nam si hoc scriptor dicere voluisset, non *δέ* particula, sed *γάρ* adhibenda fuit. Atque in eundem incidit errorem Schoenius, qui J. J. 1871, p. 775 multiplices temptavit declarandi rationes, ut rerum conexum, quem revera subesse persuasum habebat, restitueret ostenderetque. Qui etiam *Φιλοκλέους* corruptum et potius *Δεξιθέου* vel *Δημοφίλου ἄρχοντος* legendum esse suspicatur, quia Ps-Plutarchum Demosthenis annum natalem attulisse existimat, ex quo lectores Lysiam senem Demosthene puerulo etiam vivere potuisse cognoscerent. Quae explicatio quam esset contorta, ipse postremo vidit Schoenius. Mihi quidem hoc veri simillimum videtur, quod A. Schaefero duce (Bergk. et Caesaris Ann. 1848, p. 244) nunc inter plerosque, quibus de ea re quaerendum erat, constat. Hoc enim ipso loco priorem vitae partem altera excipit, quae additamenta alia aliis ex fontibus temere nec temporis ordine servato congesta continet. (Cfr. p. 7.)

Accedit aliud argumentum quo recentiores ad evertendum veterem temporum ordinem usi sunt, repetitum ex

oratione quae Demostheni falso tribuitur in Neaeram.[1]) Quae ibi de Lysia σοφιστῇ narrantur, iam Taylorum adeo vexaverunt, ut non posse pertinere illam narratiunculam ad Lysiam oratorem arbitratus (Reisk. O. G. VI, p. 151) alium fingeret Lysiam, ipsum quoque Cephali filium, cui cognomen ὁ σοφιστὴς fuisset, cui etiam orationes amatorias et epistolas attribuendas esse volebat. At falso haec Taylorum excogitavisse peracute primus ostendit L. Spengelius (Συναγωγὴ τεχνῶν p. 131 sq.) eumque secuti sunt L. Hoelscherus (l. l. p. 28) et Rademacherus (l. l. p. 40 sq.). Neque quae Vaterus (l. l. p. 195) et Westermannus (praef. ed. Lys. p. VII) contra disputaverunt, ut illam narrationem ad Lysiam oratorem pertinere non posse demonstrarent, nisi eius annum natalem viginti fere annis produxissemus, me adducere potuerunt ut a Spengelii sententia discederem. Sed quoniam nec tempora eorum quae in oratione adversus Neaeram narrentur nec ea ipsa facta[2]) discrepare cum tradita Lysiae vita Rademacherus l. l. uberius demonstravit, omittamus hic illam illepidam narratiunculam.

Nunc Platonem testem auctoremque producamus, qui, cum et in Phaedro et Reipublicae initio Lysiam oratorem commemoraverit, gravissima praebet argumenta quibus disputatio nostra nitatur. Cuius testimonium quoniam ab omnibus maximi putatur momenti, nisi forte Hoelschero quis credit, id quod non est verendum, qui Platonem in temporum descriptione mirum in modum peccasse nescio quo pacto dicere non dubitavit (p. 17), quamvis multi viri docti de eadem re diligentissime quaesiverint, tamen novam rerum tractationem instituere in animo habeo, quia fore ut tum demum dubitationes quaedam, quae magnam rerum Lysiacarum enarratoribus attulerint difficultatem, nullo fere negotio dirimantur mihi persuasum est.

---

[1]) Cfr. orat. in Neaeram p. 1352 sq. Athen. XIII. p. 592 b. c. 593 f. Ps. Plut. Lys. vit. W. B. 243, 49. — p. 836 B. Fr.

[2]) Narratur ibi Lysias fere sexaginta sex annos natus (ex nostra computatione) consuetudinem habuisse cum Metanira quadam meretrice Corinthia.

Atque primum quidem de Platonis Phaedro disseram. Quo dialogo Plato, ut res notissimas obiter perstringam, Socratem et Phaedrum Pythoclis filium Myrrhinusium colloquentes inducit. Phaedro a Lysia Cephali f. cuius de amore orationem audiverat venienti Socrates obviam it et ubi comperit unde veniat, petit ab eo ut orationem quam Lysias habuit secum communicet, ac Phaedrus primum resistens, tandem ei obsecutus totam orationem de scripto recitat (p. 230 E—234 C). Qua de oratione utrum Lysiae sit an ab ipso Platone confecta, primum dicendum est.

Cum veteres omnes ad unum illam orationem amatoriam Lysiae attribuendam esse putavissent (cfr. Haenisch: „Lysiae Amatorius.“ Lips. 1827, p. 37—39. — A. B. Krische: „Platons Phaedrus,“ p. 26 sq.), Taylorus primus eam non Lysiae oratoris, sed Lysiae τοῦ σοφιστοῦ quem ipse finxit esse dixit (Vit. Lys. Reisk. O. G. VI, p. 154). Sed de hac perversa Taylori opinione nullum iam verbum faciam. At alii exstiterunt qui hanc orationem non a Lysia scriptam, sed a Platone ipso fictam esse asseverarent. (Cf. Ast.: Phaedrus cum schol. Hermiae. Lips. 1810, p. 236. Schleiermacher: in praef. ad Phaedri versionem Germ.) Contra eos omnes Lysiae patrocinium suscepit Ed. Haenischius („Oratio quae sub nomine Lysiae in Platonis Phaedro legitur, utrum Lysiae an Platonis esse videatur.“ Ratisb. 1825), qui id maxime egit ut dicendi genus quod sermo amatorius praebet idem esse quo Lysias semper usus esset demonstraret. Cuius disputationis haec fere summa est (p. 23), illam orationem non modo a Lysia esse conscriptam, verum etiam in hunc dialogum ita receptam, ut ne verbum quidem aut immutaretur aut alio transferretur aut inde eiceretur. Haenischii sententiam vehementissime impugnavit C. Fr. Hermannus (Annal. Heidelberg. 1828, p. 254 sq. „Gesammelte Abhandlungen.“ Götting. 1849, p. 1—21.) Deinde novam professus est sententiam L. Spengelius (Συναγ. p. 126 sq.): illum Ἐρωτικὸν non orationem, sed epistolam esse. Atque eodem tempore (a. 1828) I. Franzius eandem sententiam protulit et Spengelius Hoelschero (l. l. p. 125) tam praeclare sententiam suam testimoniis firmavisse visus est,

ut eius auctoritatem sequeretur.[1]) Verum Spengelius et ipse illum *Ἐρωτικὸν* a Lysia conscriptum putavit eamque sententiam plerisque deinde viris doctis acceptam videmus. Quorum ut principes nominem, A. B. Krischius (l. l. p. 26—28), H. Sauppius (Oratt. Attic. II, p. 209), Westermannus (Quaestt. Demosth. II, p. 73 et praef. ed. Lys. p. XI, annot. 46), Vaterus (l. l. p. 176) omnes hanc orationem Lysiae attribuerunt. Et postquam in conventu philologorum Germanorum a. 1858 L. Schmidt I. Vahleno assentiente eandem sententiam defendit, res ad certum redacta esse videbatur. Tamen quia adhuc inveniuntur qui Platonem orationis auctorem esse ducant vel rem in medio relinquant, velut praeter C. O. Muellerum (Gesch. d. griech. Litter. II², p. 373), R. Nicolaius (Griech. Litter. II², p. 307: „eine Studie des Philosophen in lysianischer Manier"), cum Fr. Blassius (*A.* B. I. p. 416 sq.) multa recte disputasse, nonnulla tamen praetermisisse mihi videatur, equidem hanc rem denuo tractabo, quam ut recte perspiciam, permulta me debere I. Vahleno clarissimo viro cuius de Phaedro lectionem audiverim grato confiteor animo.[2])

Ac primum quidem hoc respiciendum est, quam opinionem ipse Plato in eorum animis qui dialogum legunt excitare cupiat. Tantum autem abest, ut ipse amatoriam orationem confecisse videri velit, ut contra expressis verbis Lysiam Cephali f. orationis auctorem appellet: cfr. p. 227 C: *γέγραφε γὰρ ὁ Λυσίας*; p. 228 et 229. Tum admonemus, Platonem *ἐρωτικὸν* a Phaedro non ex memoria pronuntiatum, sed de scripto recitatum finxisse: p. 228 D. E. Et cui haec res levis momenti esse videatur, consideret, quaeso, quantopere Plato operam dederit ut sermonem eo adduceret, ut Phaedrus orationem praelegere cogeretur. Tum vero „quod p. 262 E et p.

[1]) Non recte haec Spengelius; nam ut unum idque maximum argumentum quod ei obici potest commemorem, ex tota dicendi ratione apparet, illam orationem ad praesentem puerum dictam, non ad absentem scriptam cogitari, et Socrates quidem ipse sic rem capit, qui contra Lysiae orationem ad eundem puerum verba facit (Phaedr. p. 237 B.)

[2]) Dissertationem, quam *Γεώργιος Κωνσταντινίδης περὶ τῆς γνησιότητος τοῦ ἐρωτικοῦ τοῦ Λυσίου* scripsit (*Ἀθήναιον. τόμ.* 4 1876, p. 33 - 55), ut inspicerem mihi non contigit.

263 singula prooemii verba a Platone exscribuntur et examinantur acriterque vituperantur, id prorsus mirum esset, si Plato ipse ut vituperare posset ita composuisset. Hoc ineptum est, nisi qui vituperatur ipse scripsit"[1]). Omnino illud prooemium (p. 230 E), quod ad aliam orationem antea ad eundem puerum habitam dilucide respicit, tam singulare atque insolitum est, ut nos de imitatore cogitare debeat vetare. Porro dictionem prorsus Lysiacam esse, postquam Haenischius luculenter demonstravit, omnes concedent, dummodo aliam esse dictionem apud iudices orantis, aliam declamantis meminerint. Denique si quaerimus, quid causae fuerit Platoni cur ex Lysiae orationibus hanc ipsam amatoriam eligeret, haec mihi digna videntur argumenta quae in lucem proferamus. Platonem non ut vituperaret Lysiae sermonem ante oculos posuisse aut dialogum instituisse, sed potius Socratis morem secutum a prompto et praesenti sermone exordium disserendi et facultatem repetivisse, recte iam admonuit Rademacherus p. 31. Hoc tamen fere omnes neglexisse mihi videntur, orationis argumentum sententiasque intueri. Platonem enim in Phaedro Siculorum illi rhetoricae fucatae ac sophisticae suam rhetoricam philosophiae artibus instructam atque fundatam opposuisse et utra melior esset et praeferenda explanavisse, quis est quin sciat? Quamobrem Plato si demonstrare voluit, ne Lysiam quidem oratorem vel celeberrimum extra fines scholae ex qua profectus esset unquam egressurum esse aut egredi posse, quia philosophiae studium plane neglexisset, necesse erat ad comprobandam sententiam orationem eligeret, cuius argumentum idoneum esset quod philosopha tractaretur ratione: cuiusmodi erat Ἐρωτικὸς Lysiae. Praeterea autem argumentum huius orationis, qua Lysias puero cuidam pulchro per-

---

[1]) Sauppius l. l. Ceterum conferas quae iam Krischius p. 28 dixerat: „Sonst würde Plato leichtes Spiel gehabt haben, wenn er als Nachbildner der lysianischen Manier sich vorher alles so zugerichtet, dass er nachher als dialektischer Kritiker der lysianischen Rhetorik, die sich auf dem Gebiete einer Kunst wähnte, gerade daran seine Aussetzungen anzuknüpfen hätte unternehmen können, was ihm kein Kritiker des Altertums, geschweige die Kunstrichter des lysianischen Stils würden nachgesehn haben."

suadere voluit ut non amanti magis gratificaretur quam amanti, tam vile tamque sophisticum erat ut facillimam inde ansam caperet ad reprehendendum philosophus. Tum vero illud argumentum Socrati praeter ceteros aptum ac conveniens erat, qui se nil nisi ἐρωτικὰ scire de se praedicare solebat. Quare Phaedrus dicit p. 227 C: „*Καὶ μήν, ὦ Σώκρατες, προσήκουσά γέ σοι ἡ ἀκοή. ὁ γάρ τοι λόγος ἦν οὐκ οἶδ' ὅντινα τρόπον ἐρωτικός.*“ Atque hoc saepe de se ipse dicit Socrates: Phaedr. p. 257 A. Symp. 177 D. 212 B. Theag. 128 B. Lys. 204 B. Xenoph. Mem. II. 6, 28. (Cf. Lentz: „Animadvers. in Plat. Phaedr.“ in Actis Societ. Rheno-Traiect. II. 1795. p. 299). Omnino autem admonendum est, hunc dialogum iam a Thrasyllo *Φαῖδρον ἢ περὶ ἔρωτος* inscriptum esse (Diog. Laert. III, 58). Nam non solum de recta et falsa dicendi arte agit hoc dialogo Plato, sed etiam de vero et falso amore, ut sanctos puerorum amores defendat, ab impuris seiungat, philosophia excolat.

Haec habui quae de sermone amatorio qui in Platonis Phaedro inest Lysiae vindicando dicerem. Alia est quaestio, quo tempore Plato illum dialogum composuerit. Quae quia cum illa difficillima de Platonis dialogis temporum ordine describendis artissime cohaeret et ipsa perquam difficilis est et paulum, ne dicam nihil emolumenti nobis praebet ad Lysiae aetatem constituendam, eam hic missam faciam et satis habebo commemoravisse, nec veteres de hac re consensisse (cfr. Diog. Laert. III, 38. Cic. Orat. 13, 42) et nostris temporibus viros doctos adeo inter se discrepare ut alii Phaedrum primum omnium dialogorum fere ol. 93 — a. 408/7 a. Chr. n., alii aliquanto post, ol. 98 — a. 389/8, conscriptum esse arbitrentur, alii inter hos duos terminos fluctuent animis. (Cfr. Zeller: Philos. d. Griech. II^2, 1, p. 327 sq. Ueberweg: Gesch. d. Philos. p. 75). Sed quamvis de tempore quo conscriptus est Phaedrus viri docti valde inter se dissentiant, at certe de tempore, cui sermo cuius sententias Plato illo dialogo se comprehendisse fingit assignandus est, in universum consentiunt. Nam inter ol. 92, 1 — a. 412, quo anno Lysias Thuriis Athenas ex omnium consensu revertit, et ol. 94, 1 — a. 404, quo anno Polemarchus oratoris frater, qui p. 257 B ut vivus ac philo-

sophiae studiis deditus commemoratur, a triginta viris interfectus est, et quidem propius ol. 94, 1 ille sermo ab omnibus ponitur.

Atque his rebus copiosius pertractatis perspiciamus nunc, si placet, quid ad Lysiae tempora definienda nos adiuvet Platonis Phaedrus. Et hoc quoque loco Vateri potissimum argumentatio nobis redarguenda est. Qui primum ex hac re maximum suae sententiae argumentum elicuit, quod Lysiam admodum virum a Platone iuvene — nam Phaedrum ol. 93, 2 — a. 407 scriptum esse posuit — tam acriter vituperari nec potuisse nec debuisse putabat. At eodem iure quo Lysiam viginti fere annis minorem reddidit, quid impedivit Vaterum quominus aliorum quoque rhetorum, quos Plato in Phaedro aggressus est, Thrasymachi, Gorgiae, Theodori, aetatem prorogaret? Nam quae in Lysiam eadem in ceteros cadunt. Fac vero, Platonem iuvenem in Lysiam quinquagenarium vehementius invectum esse, num ista aggrediendi vituperandique ratio prorsus aliena est ab iuvenili animo? Aliud argumentum Vaterus protulit repetitum ex orationis sententiis. Dicit enim Lysiam, si tum iam quinquaginta habuisset annos, talia *ἐρωτικά*, quae non convenirent viro iam spectato, scripturum non fuisse. Quid? nonne idem Vaterus, qui Lysiam quinquagenarium illam orationem, quam meram declamationem fuisse Spengelius *Συναγ.* p. 137 recte statuit, scribere non potuisse existimavit, tamen oratorem plus quam quadraginta annos natum consuetudinem cum Metanira meritrice habuisse concessit?

Tum vero Westermannus quanquam Phaedrum a Platone circa ol. 98 confectum esse pro explorato habet (praef. ed. Lys. p. VIII), tamen Lysiam iuvenem a Platone castigari nobis persuadere conatur, quod illa Socratis hortatio p. 257 B, ut *Ἔρως* deus oratorem ab ineptiis oratiunculisque removeat et ad philosophiae studium, cui Polemarchus frater iam operam dederit, impellat, nisi iuveni apta non esse videatur, et cum ei opponi possit Lysiam tum, cum Plato Phaedrum scriberet, ne ex ipsius quidem sententia iuvenem, sed quadragenarium fere fuisse, hoc maxime nititur, quod, quo tempore illud colloquium habitum Plato finxit, orator admodum iuvenis fuerit.

At si totum dialogum pervestigamus, num Lysiam demonstret iuvenem, nullum reperimus locum qui illam destinatam opinionem confirmet. Immo si Plato Lysiam celeberrimum dicit oratorem p. 228 A aut *ἀγαθὸν ποιητήν* p. 236 D, si eum cum Thrasymacho comparat p. 269 D, si p. 278 C cum Homero et Solone coniunctum nominat, ex his omnibus clarissime apparet, Lysiam, qui omnium oratorum dignissimus philosopho videretur, cuius exemplo uteretur ad diversitatem suae ipsius et Siculorum eloquentiae ostendendam, tum non iuvenem, sed potius virum spectatum probatumque fuisse. Confirmatur vero haec nostra sententia Socratis illa peroratione, qua in extrema pagina dialogi Phaedro interroganti quid de Isocrate amico sentiat suam exponit opinionem p. 278 E. et p. 279. A Platone hic Isocratem Lysia minorem natu expresse declarari luce clarius videtur; attamen mira quadam ratiocinatione Vaterus ex planis verbis Platonis demonstrare conatus est, Isocratem et Lysiam fuisse aequales.

Constat inter omnes Isocratem natum esse ol. 86, 1 — a. 436 Lysimacho Athenis archonte. Sic omnes veteres qui Isocratis vitam descripserunt tradunt: Dionysius Halicarnassensis (Reiske V, p. 534), Pseudo-Plutarchus (W. B. p. 247, 7. — p. 836 E Fr.), Photius (bibl. c. 260), Anonymus (W. B. p. 256, 84), Suidas s. v. Addit autem Dionysius Isocratem viginti duobus annis minorem esse quam Lysiam, idemque nobis narrat Plutarchus; nam pro *Λυσιμάχου Μυῤῥινουσίου δύο καὶ εἴκοσιν ἔτεσι* legendum esse *Λυσιμάχου Μυῤῥιν. ἄρχοντος Ἀθήνησι, νεώτερος Λυσίου κβʹ ἔτεσι* iam dudum viderunt viri docti (cfr. Westerm. *Βιογ.* p. 247, 7 annot.) Et eadem restituenda sunt apud Anonymum, qui praeterea haec adiecit: *νέος δ' ὢν ἐδόκει διοίσειν τῶν περὶ τὸν Λυσίαν τὸν ῥήτορα πρὸ αὐτοῦ γενομένων καὶ τοῦτο μαρτυρεῖ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδρῳ.* Ex omnibus autem locis, quibus Dionysius de Lysiae aetate dicit [1]), dilucide apparet, Dionysium persuasum habere,

---

[1]) De veter. orat. c. IV. Reisk. V, p. 451, 3. De Lys. c. III. p. 460, 7. De Isocr. c. I. p. 534, 2. De Dinarch. VI. p. 629, 10. De admir. vi dic. in Demosth. c. II. p. 956, 12 (*Λυσίας κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους Γοργίᾳ τε καὶ Θουκυδίδῃ γενόμενος.*). De Thucyd. dic. gen. c. LI. p. 941, 6; c. LIII. p. 944, 7.

Lysiam aliquanto maiorem Isocrate fuisse; et cum Platonis verba cum Dionysio egregie consentiant, nihil causae video cur Dionysium falsa de Lysiae et Isocratis aetate, quanto annorum intervallo distarent, tradidisse existimemus. Accedit quod quae personatus Plutarchus aliis locis de Lysiae aetate dixit optime cum Dionysii testimonio concinunt; sic in Antiphontis vita (W. B. p. 231, 21 — p. 832 D. Fr.) Lysiam cum Alcibiade, Critia, Archino coniungit et ex antiquioribus numerat oratoribus; sic de Isocr. W. B. p. 249, 68 (p. 837 F. Fr.) eum cum Gorgia Leontino Isocrati opponit. (Cfr. W. B. p. 290, 237. — p. 848 C. Fr.)

Acquiescamus igitur in eo quod nec planis verbis Platonis nec Dionysii auctoritati repugnet. At alii, ne me existimes contra Vaterum solum disputare, id quidem concedunt Lysiam Isocrate maiorem esse, sed de temporis spatio quo inter se differebant aliter sentiunt. Inter quos C. Fr. Hermannus Isocratem octo annis a Lysia superari posuit, hac maxime adductus causa quod Lysiae aetatem cum iis, quae in Platonis Republica de Lysia eiusque patre Cephalo narrantur, componere voluit. Pervenimus sic ad Platonis Rempublicam, quo dialogo philosophus illos divinos sermones litteris mandavit, quos apud Cephalum Syracusium inter Socratem et Polemarchum Lysiae fratrem et Thrasymachum Calchedonium potissimum habitos finxit.

Atque primum quidem Rempublicam a Platone non ante ol. 98, sed potius multo post conscriptam esse hodie fere omnes consentiunt (cfr. C. F. Hermann: Geschichte und System der platon. Philosophie I. p. 536 sq. E. Zeller: Griech. Philos. II ^{2}, 1, p. 347, annot. 1). Sed trahimur protinus in diversas partes, si quaerimus, quonam tempore illos sermones habitos ponamus. Et A. Boeckhius quidem in prooemiis lect. univ. Berol. indicibus hibern. 1838/39 et aestiv. 1839 praemissis accuratissima qua solebat subtilitate probare studuit, illos sermones ol. 92, 2 — a. 411 habitos esse, quia nisi hoc tempore ei viri quos Plato colloquentes induxit quosque adesse commemoravit: Cephalus eiusque filii Polemarchus, Lysias,

Euthydemus, Socrates, Thrasymachus, Glauco et Adimantus Aristonis filii, Niceratus Niciae f., Charmantidas Paeanieus, Clitophon Aristonymi f., convenire non potuerunt, praesertim cum Socrates utpote tum sexagenarius optime sermonis magistri personam tueretur. Eandemque secutus est sententiam G. Stallbaumius (Lysiaca etc. p. 8) et paulo post, ol. 92, 4 — a. 409 posuit colloquium illud Susemihlius (Platonische Forschungen II. in Philolog. Gotting. Suppl. vol. II, p. 105 sq.). Sed contra Boeckhium C. Fr. Hermannus et Fr. Vaterus acriter pugnaverunt, quorum hic („De Reipublicae Platonicae temporibus" Marburg. 1839) in ol. 87, 3 — a. 429, ille in ol. 90 — a. 420 sermonum tempus reiecit (Rerum Andocid. part. II, cap. 3: „De scaena Civitatis Platonicae" in „Jahns Archiv," suppl. vol. IX, p. 196—223.). Hae fere sunt de hac re sententiae quae propositae sunt et adhuc probantur; nam quam L. Hoelscherus, „vir studiosissimus quidem veri inveniendi, sed aberrans tamen ille a vero quam maxime, quia Graeculorum se passus est decipi somniis" (Vaterus l. l. p. 197), l. l. p. 15 professus est sententiam ex qua illi sermones ol. 82 vel 83 facti essent, eam plane abiciendam esse non est quod uberius exponam, cum hodie non iam sit periculum ne quis in talem rursus incurrat errorem. Mihi quidem Boeckhius et qui novissimus eius sententiam confirmandam suscepit summus vir Eduardus Zellerus, quo quod praeceptore usus sum valde gaudeo, in egregia disputatione: „Ueber die Anachronismen in den platon. Gesprächen" (Act. Acad. Litt. Berol. 1873, p. 86 sq.) persuaserunt, sermones Reipublicae Platonicae ol. 92, 3/4 — ann. 410/409 a. Chr. n. esse tribuendos. Quod quemadmodum cum Cephali et Lysiae aetate concinat, nunc erit disserendum. Nam quod Zellerus rem satis explicavisse sibi videtur cum dicit: „Die späteren Ueberlieferungen über das Leben des Lysias sind offenbar von ungeschichtlichen Bestandteilen nicht frei" (p. 87), nos non modo non assentimur, verum etiam respicientes illa Boeckhii verba: „Componenda sunt quae Lysias et Plato tradunt et quae conciliari cum his queunt reliqua testimonia: ceteras res suppleveris coniecturis" (Ind. lect. Berol. hib. 1838/39, p. 9), quanquam res paene est

desperata, bono tamen animo rem denuo suscipiemus et quoad eius fieri potest absolvemus.

Atque quae veteres de Cephalo tradunt haec sunt: Cephalus Lysaniae filius Cephali nepos Syracusanus ex patria Athenas commigravit, sive desiderio urbis adductus, sive a Pericle amico et hospite invitatus (Lys. or. XII, 4), sive Syracusis a Gelone tyranno eiectus (Ps-Plut. de Lys. W. B. p. 241, 5.—p. 835 C. Fr.). Athenis vixit triginta annos (Lys. l. l.) De Cephali vita ac moribus multa tamque egregia nobis refert Plato ut recte eum Curtius (Griech. Geschichte II, p. 216) „das Musterbild eines frommen und weisen Hellenen" dixisse videatur. Cephali mortem unus falsus Plutarchus commemorat, qui Lysiam Thurios se contulisse dicit ol. 84, 1 — a. 443 „τοῦ πατρὸς ἤδη τετελευτηκότος"

Quaeritur quo tempore Cephalus Athenas commigraverit. Hoelscherus, qui veterum auctoritatem summa coluit religione, Cephalum ol. 76 — a. 475. Athenas transisse ibique ol. 83 — a. 445 de vita decessisse putavit. At cum Lysias l. l. patrem Periclis precibus obsecutum sedem Athenis collocavisse dicat, illam commigrationem eo tempore factam esse necesse est, quo Pericles, si non Atheniensium rebus praeesset, at aliquam certe haberet apud cives auctoritatem nomenque extra patriae fines. Atqui Pericles demum ab ol. 77,4 — a. 469 Atheniensium rempublicam administrare coepit (cf. Clinton: Fast. Hell. ed. Krueger. p. 38). Tum Pericles, quem fere ol. 70 — a. 500 ponimus natum esse, ol. 76 — a. 475 maxime viginti quinque annos habebat, Cephalus autem, si modo eum ol. 83 senem fere octoginta annorum mortuum esse cum Hoelschero arbitramur, tum quinquagesimum agebat annum. Statuit igitur Hoelscherus, Cephalum quinquagenarium a Pericle iuvene adductum esse ut patriam relinqueret, id quod mihi quidem veri dissimillimum videtur. Denique Cephalus, si Hoelscherum sequeremur, aetate maior esset quam Sophocles, quem ol. 71 — a. 496/5 natum esse scimus: at apud Platonem (Rep. I, p. 329 B.) ipse se Sophocle minorem esse dicit. Quas difficultates ut de medio tollerent, duas potissimum vias, quantum video, ingressi sunt viri docti,

Etenim aut quae veteres de Lysiae anno natali tradiderunt prorsus abiecerunt, illis autem Ps-Plutarchi verbis: ‚τοῦ πατρὸς ἤδη τετελευτηκότος‘ tantam attribuerunt vim, ut ex iis Cephali aetatem definirent; aut veterum auctoritatem in enarranda Lysiae vita secuti illud additamentum, quod solus Plutarchus qui fertur habet, falsum esse putaverunt. Qui autem Lysiam ol. 80, 2 natum esse et Cephalum ol. 92, 3 etiam vivere existimabant, ad mira artificia confugerunt. Sic Boeckhius Lysiam Syracusis natum et cum Cephalo Thurios profectum esse, patrem deinde solum ol. 85 — a. 440 Athenas se contulisse suspicatus est. Atqui optimi auctores Lysiam Athenis natum esse nobis testantur: Cicero Brut. 16, 63, Dionysius Halic., Auctor vitarum X oratorum, Suidas; Syracusanum eum nominant Timaeus Tauromenitanus apud Ciceronem l. l., Iustinus V, 9, Orosius II, c. XVII, Photius, cuius tamen locus corruptissimus nil valet. Quanquam autem Rademacherus, qui Boeckhio assentitur, Lysiam Atheniensem vocatum esse demonstrare studuit, quia Cephalus pater triginta annos Athenis degeret, quia ipse orationes plerasque scriberet Athenis, quia puram praeberet dialectum Atticam, denique quia Atheniensium rebus valde faveret (p. 53), nobis non persuasit; immo hoc teneamus, Lysiam Athenis esse natum, id quod testes aliquanto fide digniores tradunt, Syracusanum vero ex paterni generis ortu posse vocari (Hoelscher, p. 12). Sed haec ipsa res quod ei qui Lysiae annum natalem sive quindecim sivi viginti septem annis protulerunt, hunc nodum facillime exsolvere videbantur, maxime eorum sententiam multis probavit. Nostrum igitur erit, aliam patefacere viam qua omnia optime explicentur.

Ac primum quidem cum Lysiam ol. 80, 2 natum eiusque patrem Cephalum circiter ol. 92, 4 mortuum esse velimus, nobis quoque illa Plutarchi verba: ‚τοῦ πατρὸς ἤδη τετελευτηκότος‘ insiticia iudicanda sunt. Difficile sane est interpretatu, quomodo haec verba in contextum irrepserint. Sive quod Vitarum scriptor, miratus quod Lysias et Polemarchus Athenas relinquebant quo Cephalus pater paulo ante commigraverat, ut huius rei causam indicaret, de suo addidit: τ. π. η. τ., sive

quod lector aliquis illa verba in margine ascripsit, unde postea in textum recepta sunt, sive quod nonnulla verba exciderunt, ut Schoenius (J. J. 1871, p. 771) coniecit: *Βράχυλλος* [*ὃν ἀγνοοῦσι Πλάτων καὶ οἱ πλεῖστοι, τινὲς δέ φασι γεννηθῆναι*] *τ. π. η. τ.*: at certe falsum est hoc additamentum. Qua vero causa Vaterus praecipue haec verba defendere voluit, quod pater senex minime filios Athenis egredi passus esset, ea nobis nihil necessitatis habere videtur, cum ex nostra quidem computatione pater illo tempore quo Lysias Thurios petivit (ol. 84, 1) non modo non senex, sed vir robustissimus intra quadragesimum et quinquagesimum aetatis annum fuerit. Natus enim est Cephalus fere ol. 72, 3 — ann. 490, ut concludimus ex iis quae a Platone de eo narrantur; nam Rep. I. p. 329 A paulo minor fuisse quam Sophocles, quem ol. 71 — a. 495, et aliquanto maior quam Socrates, quem ol. 77, 4 — a. 469 natum esse hodie inter omnes fere constat, a Platone traditur. Cum autem eum senem paene decrepitum Plato descripserit (cf. p. 328 B.: *καὶ μάλα πρεσβύτης μοι ἔδοξεν εἶναι*; p. 328 D.: *τοῖς σφόδρα πρεσβύταις*; p. 328 D., p. 328 E.: *ἐνταῦθα ἤδη εἶ τῆς ἡλικίας ὃ δὴ ἐπὶ γήραος οὐδῷ φασιν εἶναι οἱ ποιηταί*; p. 330 D.: *ἐπειδάν τις ἐγγὺς ᾖ τοῦ οἴεσθαι τελευτήσειν*), Cephalum illo tempore octoginta fere annos habuisse optimo iure statuere possumus.

Restat ut quo tempore Cephalus Syracusis concesserit Athenas definiamus. Hanc commigrationem nos summa cum verisimilitudine ponimus factam esse ol. 80, 1 — ann. 460, quo anno Cephalus vir triginta erat annorum et Pericles, quo auctore patrem e patria emigravisse Lysias ipse XII, 4 testatur, quadraginta fere annos natus in Atheniensium republica permultum iam pollebat. Tum enim Pericles qui inde ab ol. 77, 4 rempublicam capessiverat certam paravit victoriam, cum per Ephialtem Areopagi potestatem valde circumscripsisset et Cimonem adversarium testarum suffragio ex urbe eiecisset. Erat igitur Pericles tanta in republica potentia, ut „defendere clientem ab iis criminibus posset quibus obnoxius esset inquilinus opulens;“ neque est quod cum Boeckhio (Ind. lect. Berol. aest. 1839, p. 5) usque ad ol. 84, 1 progrediamur, quo

ex tempore Pericles solus reipublicae gubernacula tenuit. Huc adde, quod tum maximi erant inter Syracusanos tumultus; nam postquam Syracusae tyrannorum dominatione ol. 78, 3 — a. 466 liberatae sunt, motus deinde tumultuosi civium rempublicam concusserunt.[1]) Ac summam in se habet probabilitatem, Cephalum, quem huius belli civilis taeduisset, Pericli hospiti adhortanti ut Athenas, quae urbs tum Graeciae principatum obtinere coepit, sedem rerum suarum transferret facile morem gessisse[2]). Sed unus obstare videtur Lysiae locus, qui patrem triginta annos Athenis habitasse or. XII, 4 expressis dicit verbis. Etenim rectissime iam Boeckhius l. l. p. 5 admonuit, etsi non pateret, ex quo tempore computarentur illi triginta anni quos Cephalus Athenis peregisset, tamen non probabile esse, Lysiam tempus significare adeo remotum, ut Cephalus iam ante ol. 83, 1 defunctus esset, sed potius conexum cum eo tempore quo Lysias ipse vixisset Athenis vir, h. e. ol. 92, 1. Sed quae Boeckhius et Rademacherus ut hanc difficultatem evitarent excogitaverunt (cfr. p. 26), cum contra optimorum testium auctoritatem repugnent, probanda non esse mihi videntur. Quamobrem liceat mihi novam coniecturam in medium proferre, quae quanta sit fide digna ponderabunt viri docti. Equidem pro *τριάκοντα* quod est in codice Palatino legendum esse *π ε ν τ ή κ ο ν τ α* suspicor. Ac si veteres in scribendo numerorum notas adhibuisse meminerimus, illos duos numeros facillime posse commutari statim intellegemus. Nam pro *Ν* quod erat in manuscriptis legit et scripsit librarius quispiam *Λ* vel potius *Λ'*. Quas litteras saepius commutatas esse iam Dorvillius ad Chariton. p. 342 et p. 616 ed. Lips. monuit et exempla huius commutationis collegit. Facta enim,

---

[1]) Cfr. Diodor. XI, 68 sq. — Wachsmuth: „Hellenische Altertumskunde“ II. p. 94: „Es bestand sogleich Demokratie mit den ungestümsten Aufwallungen des Machtgefühls bei der Menge.“

[2]) Fortasse opinionem nostram illud confirmare potest quod Pseudo-Plutarchus (W. B. p. 241, 5. — p. 835 C. Fr.) narrat: nonnullos putasse, Cephalum Syracusis eiectum esse, cum Gelo tyrannus urbem occupatam teneret. Nonne probabile videtur, illum scriptorem ea quae in fonte invenisset non recte tradidisse?

ut cum viro doctissimo (p. 616) loquar, detritione lineolae ultimae in littera *Ν* iustum *Λ* remanet [1]). Sed argumenta, quibus hanc nostram coniecturam confirmemus, haec proponimus; unum quod istae mutationes creberrimae sunt in codicibus, sicut in eadem oratione paulo post § 7 Marklandus et Frohbergerus pro *δέκα* (*Ι*) legendum esse *τριάκοντα* (*Λ*) existimaverunt, ut illum locum cum Xenophontis narratione (Hellen. II, 3) conciliarent; atque I. H. Bremius etiamsi (Lys. orat. select. p. 64) contra Marklandum disputavit, tamen et ipse concessit, cum numeri per litteras notarentur, unius litterae cum altera confusionem frequentem esse et facilem. Sic apud Ps.-Plut. vit. Lys. W. B. p. 242, 20. — p. 835 D. Fr., ubi libri *τριῶν* (*Γ*) legunt, iam dudum viri docti *τριακοσίων* (*Τ*) restituendum esse viderunt, quod Dionysius habet. Alterum vero argumentum inde deprompsimus, quod de numero annorum, quos Cephalus Athenis peregit, nisi ex Lysiae loco ex ceteris scriptoribus nihil comperimus. Itaque illam Cephali commigrationem ol. 80, 1 — a. 460 esse ponendam persuasum habeo ac vehementer gaudeo quod hac in re cum C. Fr. Hermanno consentio, qui ipse quoque Cephalum ol. 80, 1 Athenas profectum esse, ibi autem iam ol. 87, 3 — a. 430/29 diem supremum obisse putavit. Vixit Cephalus ex nostra quidem opinione quinquaginta annos Athenis ibique octogenarius ol. 92, 4 — a. 409 mortuus est.

Cephali rebus explanatis quoniam quae contra traditum Lysiae annum natalem disputata sunt, redarguisse nobis videmur, nunc ad tertium locum pergamus, ut Lysiae vitam e fontibus contexamus; nam una quae restat dubitatio, quae inde exorta est, quod nonnulli viri docti Lysiae locum XII,3 non recte interpretati sunt, melius infra suo loco disceptabitur.

Natus igitur est Lysias Athenis ol. 80,2 — ann. 459/8 a. Chr. n. et quidem, ut M. H. E. Meierus opusc. I., p. 215, annot. 215 uberius exposuit, ante ver a. 458 et aliquanto

---

[1]) Fr. I. Bast: „Commentatio palaeographica“ in Schaefer. edit. Gregor. Corinth. Lips. 1811, p. 723.

post Metagitnionem sive m. Septembrem a. 459, Philocle Athenis archonte, qui post Phrasiclidem praetura fungebatur. Patre utebatur Cephalo Syracusano, quem paulo ante filium natum de patria Athenas Pericle auctore concessisse p. 27 sq. ostendimus. Perversissima sunt quae Photius (bibl. c. 262) et Tzetzes (Chil. V, 983), „futilis ille auctor et recens, verum mutuatus procul dubio a bonae fidei scriptoribus“ (Tayl. vit. Lys. Reisk. O. G. VI, p. 105) narrant. Ac Photii, qui Lysiam ipsum Athenas petivisse desiderio urbis et Periclis fama adductum tradit, error facile sanari potest, si pro casibus nominativis genitivos ponimus: *Κεφάλου γένος μὲν Συρακουσίου* (cod.—*ος*), *μετανάστου* (—*ης*) *δὲ γεγονότος* (—*ως*) *εἰς Ἀθήνας κτλ.* Tzetzae autem verba adeo perturbata sunt ac confusa ut merito ea praetereamus.

De Lysia puero nihil traditum est nisi quod eum cum nobilissimorum Atheniensium filiis eruditum esse comperimus. Quibus magistris usus sit, item nihil dicunt fontes nostri neque est cur vanis operam navemus coniecturis. Et C. Schoenbornii quidem sententiam, qui commentatione „de Plat. Menexeno et Lys. epitaphio“ Gub. 1830 edita Lysiam ab Antiphonte edoctum esse autumavit, falsam et ex praeoccupata de prooemii Menexeni Platonici opinione exortam esse recte praedicavit Hoelscherus p. 15. Quod autem Westermannus praef. ed. Lys. p. X Lysiam forte Athenis iam fucatae eloquentiae initia a Gorgia illuc translata imbibisse suspicatur, equidem, quia Gorgias ol. 88, 2—a. 427 cum Leontinorum legatis Athenas venit, quo anno Lysiam Athenis afuisse cum veteribus ponimus, concedere non possum. Ceterum Cephalum patrem divitem Periclis amicum filium liberalissime educavisse optimosque adhibuisse magistros nemo diffitebitur.

Cum Athenienses ol. 84, 1 – a. 443 Praxitele archonte Thurios quae antea Sybaris appellata erat coloniam deducerent, Lysias, qui tum quindecim habebat annos, qua in re omnes auctores consentire supra p. 9. diximus, aut cum Polemarcho fratre natu maximo, ut falsus Plutarchus et Photius tradunt, aut cum duobus fratribus, ut Dionysius narrat, ad colonos sese aggregavit. Satis mihi est hanc distinctam temporis notationem hic descripsisse; nam quas multi iam in-

stituerunt disquisitiones de numero fratrum quos Lysias habuisset aut qui cum eo Thurios transmigravissent, et de causis itineris Thurini, eas plane praetermittendas censeo, quia ex eiusmodi quaestionibus quae diiudicari nequeant nullum nos percipere posse fructum existimo.

Thuriis Lysias ut erat fervidi ingenii et flagrabat desiderio se erudiendi, Siculorum fucatae eloquentiae totum se tradidit.[1]) Nam cum Thurinorum nova urbs Charondae legibus uteretur (Diod. XII, 11 sq.), inter quas illa maxime erat insignis ut omnes civium filii litteris instituerentur civitate praeceptoribus stipendia solvente, mirum non est, quod cum litterae ibi summo essent in honore, non solum, qui pueros elementa omnis scientiae docerent, illuc se contulerunt, verum etiam qui inter Graecos rhetores et sophistas doctrina tum excellentissimus florebat, Tisias Syracusanus Thurios emigravit. Hunc Lysiae praeceptorem appellant Ps.-Plutarchus, Photius, Suidas. Adiciunt autem eidem Niciam quendam Syracusanum, quem tantum apud hos auctores commemoratum legimus, quanquam primi eloquentiae Graecae magistri saepius laudantur. Quamobrem ex quo Taylorus quis iste fuisset rhetor se scire negavit, hic errorem latere inter omnes constat, sive Niciae nomen ex Tisia bis scripto exortum est, ut Spengelius *Συναγ.* p. 38 suspicatus est, sive ex corruptela fortasse *Λικυμνίου*, id quod Schoenio J. J. 1871, p. 772 placuit, sive illa oratio, quam pro Nicia Atheniensi Lysias scripsisse dicitur, hunc traxit errorem.

Tisia igitur praeceptore usus Lysias Siculorum eloquentiae summo cum studio operam navavit. Haec Siculorum eloquentia, ut hoc breviter praemoneamus, artificiis quibusdam erat ornata eiusque praecepta, quae a Corace et Tisia conscripta sunt, inusitatam praecipue verborum compositionem, fictam gravitatem, periodos polite constructas commendabant, ut paria essent paribus adiuncta et similiter definita itemque contrariis relata contraria — *ἰσόκωλα, πάρισα, ὁμοιοτέλευτα,*

---

[1]) Cf. Hoelscher, p. 19; Stallbaumii Prolegomena in Platonis Phaedrum.

ἀντιθέσεις, sicut rhetores antiqui nobis tradunt. Lysiam quoque ex huius scholae praeceptis artem rhetoricam iam Thuriis factitavisse et orationes vel declamationes composuisse, nec refutari nec demonstrari potest, sed per se ipsum est veri simillimum. Et si illa oratio, quam Lysiam pro Nicia Atheniensi scripsisse, qua ille captivus apud Syracusanos capitis accusatus sese defenderet, testatur Theophrastus apud Dionys. Hal. de Lys. c. XIV, p. 483 R., genuina est, certissimum habemus eius rei testimonium. Nam hanc exercitationem, qualem recte demonstravit Spengelius *Συν.* p. 137 sq., illi tempori, quo Lysias Thuriis habitabat, assignandam esse, cum Tayloro, Spengelio, Hoelschero existimo; tum fragmenta quae Dionysius servavit omnes eas dicendi figuras ostendunt, quas Siculorum scholae proprias esse cognovimus. Sed quia Dionysius hanc orationem Lysiae derogavit, *πολλοῖς πάνυ τεκμηρίοις ἀποδεῖξαι δυνάμενος* (l. l. p. 485), eam praetermittamus. Habemus vero genuinam Lysiae orationem non multo post conscriptam quae idem dicendi genus praebet, sermonem illum amatorium, quem Plato in Phaedrum inseruit. Hic antitheses reperiuntur: p. 233 B C; p. 233 E usque ad p. 234 B, ubi sena enuntiati membra accuratissime alia aliis respondent; p. 232 D. Deinde respicias, nova argumenta eodem modo afferri et cum prioribus coniungi: sic *ἔτι δέ* p. 231 A; p. 231 C; 232 A; 234 D et *καί μὲν δή* p. 231 D; 232 B. 232 E; 233 A; 233 D adhibentur. Tum exemplum *ὁμοιοτελεύτου* affero p. 233 E; qua in periodo primum terna verba similiter cadunt, tum tribus prioribus verbis tria in secunda enuntiati parte respondent. Sed vereor ne multus sim in re trita ac iam dudum cognita.

Per longum tempus Lysias Thuriis vixit et quidem commodissime. Nam domum emisse et *ἐν εὐπορίᾳ πολλῇ* (Dionys.) sive *τῶν πολλῶν οὐκ ἐνδεέστερον* (Phot.) vitam egisse omnique civium munere functus esse narratur. An etiam magistratum administraverit, id quod multi e voce *πολιτεύεσθαι* quae est in fontibus concluserunt, incertum est nec quidquam momenti facit illa vox. Nam *πολιτεύεσθαι* significat et civem esse et civium iure in republica administranda fungi. Lysiam autem media in actione et administratione reipublicae esse

versatum inde fortasse perspicitur, quod post Atheniensium cladem in Sicilia acceptam Thurinorum animis ad Lacedaemoniorum partes conversis cum trecenti viri eius factionis quae *ἀττικίζειν* videbatur ex urbe expulsi essent, in eorum numero Lysiam quoque fuisse omnes vitae auctores commemorant. Quod factum est ol. 91, 4 — a. 413 Cleocrito Athenis archonte (non Clearcho ut falso referunt Ps.-Plutarchus et Photius.). Insequenti deinde anno Callia Athenis archonte Lysias Athenas revertit quadragesimum septimum agens aetatis annum, ut Dionysius et Suidas tradunt. Quod Dionysius addit „*ὡς ἄν τις εἰκάσειεν*, hanc in partem accipiendum est, sicut nos dicimus: „wie man ausrechnen kann." Dionysius enim aetatis annos in fonte non expresse commemoratos invenit et ex sua computatione adiecit. Triginta igitur unum vel duos annos Lysias Thuriis habitavit, et perversissimum est quod Ps.-Plutarchus habet: *ἔτη ἑξήκοντα τρία*, quae verba a multis iam viris doctis inde a Meursio, qui Lectt. Attic. IV, 15, p. 198 *τριάκοντα τρία* coniecit, temptata sunt. Multo autem verior quam illa speciosa mendi explicatio, quam Schoenius J. J. 1871, p. 772 proposuit, qui librarium quendam pro *τριάκοντα* falso *ἑξήκοντα*, tum ut errorem corrigeret, *ἑξήκοντα τρια* scripsisse putat, Zuckeri coniectura esse mihi videtur, qui (Act. Semin. phil. Erl. 1877. p. 305) inde profectus, quod annorum numerus perperam cum verbo *πολιτεύεσθαι* coniunctus est, in his verbis potius illud Dionysii et Photii additamentum (*ἐν εὐπορίᾳ πολλῇ*) latere suspicatur; quare pro *ΚΟΝΤΑΤΡΙΑ* legendum putat *ΕΥΠΟΡΙΑΙ*; eodem vero iure potuit pro *ΕΤΗΕΞΗ* scribere *ΕΝΠΟΛΛΗΙ*.

Lysias ex quo Athenas redierat, primum apud Cephalum patrem, qui aedificia in Piraeeo et in ipsa urbe maximasque habebat divitias et hanc ob causam in inquilinorum eorum qui *ἰσοτελεῖς* vocantur numerum receptus esse videtur (cfr. Boeckh. Staatsh. d. Athen. I, p. 175. II, p. 75. 78) habitavit. Patre deinde circiter ol. 92, 4 — a. 409 mortuo Polemarchus et Lysias filii nam de tertio fratre Euthydemo, quem ex Platonis Republica et ex Ps.-Plutarcho cognovimus, nihil amplius traditur — hereditatem ita possederunt ut Lysias domum

in Piraeeo sitam acciperet ibique habitaret (cfr. Plat. Phaedr. p. 227 B: *ἀτὰρ Λυσίας ἦν ὡς ἔοικεν ἐν ἄστει*), Polemarchus aedificia urbana obtineret. Fratres clipeis fabricandis operam navaverunt, qua in re centum et viginti servos occupatos habebant, quorum ergastulum ad domum Piraeensem erat situm. Ut erant divites, omnia munera quae iis erant imposita libentissime et pariter ac cives praestiterunt (Lys. XII, 20). Et Lysiam quidem, quem iam Thuriis in Siculorum eloquentia summam curam operamque posuisse vidimus, Athenis haec studia neglexisse quis est qui asseveret? Habemus vero etiam diserta testimonia quae Lysiam statim Athenas reversum artem dicendi professum esse eiusque docendae provinciam in se suscepisse satis luculenter demonstrare nobis videantur. Atque primum Plato in Phaedro Lysiam ut eloquentiae magistrum inducit, qui iuvenes quasi ad dicendi epulas recipiebat (p. 227 B) et discipulis declamationes recitabat quas iterum iterumque repetentes sese exercerent in arte rhetorica, qualis est illa amatoria oratio a Platone conservata. Tum Aristoteles apud Ciceronem Brut. 12, 48 expresse dicit: „Lysiam primo profiteri solitum artem dicendi, deinde quod Theodorus esset in arte subtilior, in orationibus ieiunior, orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse.“ Cavendum modo est ne haec Aristotelis verba sic interpreteris velut E. Munkius (Geschichte der griech. Litter. II², p. 91: „Anfangs war Lysias der Meinung, dass es eine Theorie der Rede gebe“) et Girardus („Etudes sur l'éloquence attique.“ Paris 1874. p. 12: „Enfin à cinquante ans passés Lysias change de système et ce changement va jusqu'à nier l'existence de l'art dont il avait si longtemps vanté la puissance“). Quos haud scio an illud ‚esse‘ quod antea erat in textu (profiteri solitum artem ‚esse‘) fefellerit. Si Taylorus vit. Lys. p. 150 R. etiam falsi Plutarchi testimonium attulit, qui de Isaeo W. B. p. 260. p. 839 E Fr.) secundum librorum lectionem haec habet: *Ἰσαῖος — σχολάσας Λυσίᾳ* (cfr. Phot. Bibl. c. 263, p. 490 a.), nos huic loco perquam corrupto nullam vim fidemque attribuendam esse putamus, sed potius cum Dionysius Hal. de Isaeo p. 588 R. Isaeum inter Isocratis, non Lysiae

discipulos enumeret, apud Ps.-Plutarchum *Ἰσοκράτει* excidisse et *Λυσίᾳ* cum insequentibus verbis coniungendum esse probabile videtur (cfr. Westerm. *Βιογ.* p. 260, annot.).

Lysias num etiam ut alii rhetores artem conscripserit, magna est inter viros doctos controversia; cf. Spengel: *Συναγ.* p. 135 sq. Hoelscher p. 35. Blass: A. B. I, p. 372 sq. Cum Dionysius de ea re nil dicat (cf. p. 453, 12. p. 722 R.), mihi quidem veri similius est, Lysiam *τέχνην* quam vocant non composuisse, sed illas *τέχνας ῥητορικάς*, quas Ps.-Plutarchus (W. B. p. 243, 45. — p. 836 B. Fr.) et Suidas commemorent, nihil aliud esse nisi *παρασκευὰς ῥητορικάς*, quas Marcellinus ad Hermog. (Rhett. Graec. IV, p. 352. Walz) significat: „*Εἰσὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι τόποι γεγυμνασμένοι τῷ Λυσίᾳ ἐν ταῖς παρασκευαῖς· λέγει γὰρ οἵους ἀπεργάζεται ἡ πενία καὶ οἵους τὸ πλουτεῖν καὶ ἡ νεότης καὶ τὸ γῆρας.*“ Confirmant autem maxime hanc nostram opinionem illa Aristotelis verba; nam Lysias, qui haud ita longum tempus arti docendae operam dedit, sed cum Theodorum Byzantium in arte magnopere excellere vidisset, doctoris rhetorici munus misit, artem confecisse existimandus non est. Remota igitur arte Lysias sese ad unam orationum scriptionem transtulit. Quaeritur vero ex quonam tempore Lysias aliis orationes quibus apud iudices uterentur scribere coeperit. Ac maximam hic attulit difficultatem ille locus Lysiacus XII, 3, ubi dicit orator: „*Ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες δικασταί, οὔτ' ἐμαυτοῦ πώποτε οὔτε ἀλλότρια πράγματα πράξας νῦν ἠνάγκασμαι τούτου κατηγορεῖν.*“ Quibus ex verbis concludendum vulgo putaverunt viri docti, Lysiam ante hanc orationem adversus Eratosthenem habitam, quam ol. 94, 2 — a. 403 in iudicio ipsum oravisse inter omnes constat, iudicialem orationem nec pro se nec pro aliis conscripsisse. Praeter hoc disertum quod dicunt testimonium attulerunt etiam alia, quod Plato in Phaedro Lysiae orationes iudiciales non commemoravisset, tum quod Lysias ante illud tempus divitiis magnis pollens profecto orationibus pro aliis scribendis non vacavisset nec *λογογράφου* munus suscepisset, quod ex omnium consensu vile erat apud Graecos [1]).

[1]) cfr. Plat. Phaedr. p. 257 C: *καὶ διὰ πάσης τῆς λοιδορίας ἐκάλει λογογράφον*, ad quem locum scholiasta prudentissime haec annotavit p. 63

Sic Taylorus vit. Lys. p. 150: „Orationes videtur L. exarasse in extrema senectute. Quarum enim aetatem eruere possumus, eae omnes post trigintaviratum conficiebantur.“ Exaggeravit quidem rem Taylorus, cum Lysiam in extrema senectute orationes exarasse praedicat. Cum vero fortasse dubium esset, num Lysias plus quam ducentas orationes et eas plerasque egregias inde a quinquagesimo quinto aetatis anno composuisset, haec ipsa res multos permovit ut Lysiae aetatem aliquanto prorogarent, et ipsi ei qui traditum temporum ordinem conservandum putabant, tamen hanc dubitationem reticere non potuerunt; sic Rauchensteinius p. 2 annot: „Dass er aber auf dieses Fach (int. *λογογραφίαν*) sich erst 56 Jahre alt geworfen, worin er doch nach dem allgemeinen Zeugnisse des Altertums die höchste Stufe in der Stilgattung des genus tenue erreicht hat, kann Zweifel erregen.“ Liceat igitur mihi de hac re copiosius hic disserere.

Ac primum quidem, ut illa argumenta deinceps redarguam, *τὰ πράγματα πράττειν* quod est apud Lysiam XII, 3 non tam orationem conscribere quam causam vel suam vel alienam agere et orare significat: cfr. Demosth. XXXVI, 53: *Τίς οὐκ οἶδεν, ὅσα πράγματα πράττων οὐ πέπαυσαι, οὐ μόνον δίκας ἰδίας διώκων, ἀλλὰ δημοσίᾳ συκοφαντῶν καὶ κρίνων τινάς;* Praeterea conferas *διαπράττεσθαι τὰ πράγματα*: Antiph. V, 18; *πράγματα ἔχειν*: Demosth. XLVII, 4 et Frohbergerum ad Lys. XII, 3. Hic vero nos hanc interpretationem summo iure assumere inde elucet quod Lysias ipse § 4 expressis dicit verbis, nec patrem nec se suumque fratrem usque ad id tempus quemquam in ius vocavisse aut accusatos esse. Tum A. Albrechtius in dissertatione ‚de Lysiae oratione vicesima‘ (Berol. 1878) p. 61 rectissime admonuit: „Neque ita mirum est quod Lysias, quia ab usu forensi adhuc alienus sit, in gravissima lite propter fratrem suscepta se in magna cura esse dicit. Nam aliud est orationem in umbraculis elaborare, aliud elaboratam in foro

---

Ruhnken.: *τοὺς ἐπὶ μισθῷ (λέγει) λόγους γράφοντας καὶ πιπράσκοντας αὐτοὺς εἰς τὰ δικαστήρια.* Stallbaum. Proll. in Phaedr. p. CXXII. Plat. Euthydem. p. 305 C. Isocrat. XV, 2. 31. 35. 41.)

habere. — Atque se iudicum animos sibi conciliaturum esse orator potuit sperare, cum forum se nunc demum attingere ideoque in magno metu versari commemoraret.“ Hic enim erat mos eorum qui apud iudices orabant, ut suam ipsorum *ἀπραγμοσύνην* (Isocr. XV, 4) et *ἀπειρίαν* (Lys. XII, 3) praedicarent contra adversariorum *δεινότητα* et *ἐμπειρίαν* (Lys. frgm. 78, 4. Sch.). Nam ea fori iudiciorumque insolentia (Cicer. pr. Rosc. Amer. 31, 88) propitium ac benevolum iudicum excitare debebat praeiudicium. Conferas praeterea Demosth. XXVII, 2. LV, 7. LVIII, 3. Isae. VIII, 5. X, 1. Antiph. I, 1. V, 3, 5. Isocr. XV, 26. Lys. XIX, 2. frg. 16, 1.

Quod autem Plato in Phaedro orationes iudiciales Lysiae, quibus summam adeptus est eloquentiae laudem gloriamque (Cic. Brut. 9, 35), plane neglexit et oratorem tantum propter dictionem fucatam vilemque et rationem a philosophia procul abhorrentem vituperavit, iam p. 19 sq. demonstrasse nobis videmur, „non potuisse Platonem pro consilii sui ratione in Phaedro de Lysiae eloquentia iudiciali commentari aut specimen eius et exemplum aliquod in medium afferre.“ (Stallbaum. Proll. in Phaedr. p. CXXIV). Quare nobis quidem persuasum est, ex hac re quod Plato in Phaedro de Lysia orationum iudicialium scriptore nihil commemoravit, nullo pacto effici posse nec debere, ut quo tempore philosophus sermonem illum habitum finxit, tum Lysias istiusmodi orationes non composuerit. Age vero quid de extremo adversariorum argumento dicam? Concedo quidem, qui pecuniae pretio aliis orationes scripsisset, eum magna omnium vituperatione esse obrutum. Sed quid cogit nos ut Lysiam necessario pecuniam sumpsisse pro orationibus conscriptis existimemus? Nonne veri simillimum est, Lysiam quamvis opibus ac divitiis florentem sive affinitatis sive amicitiae sive alius necessitatis vinculo permotum, ut aliis gratum faceret, non ut quaestum sibi pararet, ex arte rhetorica, quam ab adulescentia eum factitavisse scimus, fructus tum cepisse quam pulcherrimos?

Ac si haec recte disputata sunt, quaestio confestim oritur, num adhuc exstent iudiciales Lysiae orationes, quae ante ol. 94,2 conscriptae sunt. Primum quidem vicesimam

orationem pro Polystrato habitam multo ante trigintaviratum fere ol. 92 3/4 — a. 410/9 vel paulo post, ol. 93,2 — a. 407. ut F. Blassius A. B. I., p. 503 posuit, confectam esse omnes consentiunt praeter O. Muellerum, quantum equidem video, qui hanc orationem post Eratosthenicam posuit.[1]) Et ex hoc ipso orationis tempore ei, qui eam a Lysia abiudicant propterea, quod tota illa oratione omnia susque deque adeo permixta et turbata, tam abruptum dicendi genus, sententiarum nexus tam confusus, enarratio tam perplexa et obscura, tanta superiorum causarum confusio cernatur, ut, quamvis nihil insit quod historiae veritatem laedat, tamen ea non modo non Lysiae, sed ne alii quidem aequali causidico attribui possit, quos apud Fraenkelium in dissertatione „de oratione pro Polystrato habita“ (Berol. 1869), p. 8 sq. et apud Albrechtium l. l. p. 26 recensitos reperies, adminiculum quoddam suae opinionis repetunt. Ac res iam eo venisse videbatur, ut paene nemo inveniretur qui aliam profiteri auderet sententiam, cum a. 1878 Aem. Albrechtius novam aperuit viam, qui disquisitione accurate instituta orationem vicesimam ab ipso Lysia conscriptam, sed per epitomatorem corruptam esse meo quidem iudicio evicit. Habemus igitur unam Lysiae genuinam orationem quam multo ante Eratosthenicam scriptam esse hodie pro certo scimus. Quaeritur, nonne etiam plures eruere possimus quas illo tempore conscripsit Lysias. Iam I. Franzius duas alias orationes eidem tempori assignavit, octavam, quae *πρὸς τοὺς συνουσιαστὰς* inscribitur, et nonam *ὑπὲρ τοῦ στρατιώτου* (ed. Lys. Mon. 1831, p. 249). Ac de octava quidem oratione inter viros doctos maxima dissensio exorta est. Lysiaene an alii hoc opusculum attribuendum esset, Taylorus et Reiskius in medio reliquerunt; Hoelscherus p. 72 et Blassius A. B. I, p. 655 orationem non Lysianam, sed rhetori posterioris aetatis assignandam esse demonstrare voluerunt;

---

[1]) Gesch. d. griech. Litterat. II, p. 382, annot. 2: „Die Rede für Polystratos gehört nicht in die Zeit der Vierhundert, sondern ist bei der Prüfung — *δοκιμασία* — gehalten, der P. als Beamter seiner Phyle sich unterziehen musste und bei welcher ihm vorgeworfen wurde, einst unter den Vierhundert gewesen zu sein.“

Franzius, Spengelius (Συν. p. 125), cui praeter Eroticum apud Platonem sola superstes exercitatio ante anarchiam confecta esse videbatur, O. Muellerus (Hist. litt. Graec. II, p. 374), alii Lysiae vindicaverunt. Aliam quae iam Dobraeo visa est sententiam proposuit Th. Gleinigerus (Herm. vol. IX (1875), p. 150—181) multisque confirmavit argumentis quae H. Buermannus (Herm. vol. X (1875), p. 343—373) mihi quidem refellisse non videtur. Duo sunt quae Gleinigerus demonstravit; alterum pro certo praedicat: orationem octavam epitomen esse, alterum cautius profitetur, ad summam enim probabilitatem rem redegisse satis habet: Lysiam illius orationis auctorem esse posse vel potius nihil esse causae cur eam suppositiciam esse putemus. Persuasit Gleinigerus Albrechtio (l. l. p. 29), persuasit idem E. Stutzero qui novissime de ea re disseruit: „Drei epitomierte Reden des Lysias.“ Herm. vol. XIV (1879) p. 499—566. Et Stutzerus longius progressus etiam nonam orationem quae ipsa quoque viros doctos magnopere vexavit, denuo inspexit et si quid video feliciter pertractavit. Nam cum veterum auctoritatem secuti (Harpocr. s. v. *δικαίωσις*: *Λυσίας ἐν τῷ περὶ τοῦ στρατιώτου εἰ γνήσιος*) ex recentioribus multi eam orationem Lysiae abrogavissent (Taylorus et Reiskius; Blassius A. B. I, p. 610; Franckenus Comment. Lys. p. 64), Stutzerus omnibus quae afferri possent argumentis perpensis rem ita disceptavit, ut hanc quoque orationem vere Lysianam, sed epitomatoris manu valde corruptam declararet. Simul vero Stutzerus Franzii sententiae, qui orationes VIII et IX incunabulis eloquentiae Lysianae attribuerat, maxima attulit adiumenta eaque, quia ex temporibus earum rerum, quae illic narrantur, nihil certi definiri potest, — nam ex or. IX, § 3 et 4 tantum sequitur ut bellum iam longius tempus geratur et cives Athenienses exscribantur, id quod tam in belli Corinthiaci quam Peloponnesiaci tempora quadrat — ex dicendi genere repetivit. Nam si illas orationes a Lysia paulo postquam Thuriis Athenas reverterat, conscriptas statuerimus, „so könnte“, ut Stutzeri verbis utar p. 565, „das in diesen hervortretende sophistisch-rhetorische Element eben sehr einfach aus jenen Reminiscen-

zen an die sicilische Schule erklärt werden. Sie waren Producte der ersten rednerischen Periode des Lysias, in der er an Antithesen, an Uebertreibungen in Gedanken und Form, an sophistischen Argumentationen noch mehr Gefallen fand als später. Und ganz verleugnet hat er diese Eigentümlichkeit doch nie. Und dann wird auch ferner sehr begreiflich, weshalb gerade jene Reden excerpiert wurden. Sie mussten Sophisten und Rhetoren eben wegen derartiger Anklänge an ihre eigene Manier sehr zusagen, und die Teile, in denen diese Ankläuge am deutlichsten hervortreten, wurden deshalb auch weit weniger gekürzt nud geändert als die anderen.“ Sic igitur persuasum nobis est, Lysiam statim Athenas reversum orationibus scribendis iisque iudicialibus operam dedisse et falsam esse eorum opinionem qui Lysiam demum inde ab oratione contra Eratosthenem habita priore dicendi genere prorsus abiecto novam sibi quaesivisse provinciam arbitrentur, in qua summam laudem oratoriam esset consecutus; immo paulatim a Siculorum eloquentia fucata ac calamistrata sese abalienavisse Lysiam et ad Atticorum consuetudinem et sermonem simplicem ac purum inclinavisse; et hanc ipsam rem, quod Lysias non iam meras declamationes, sed orationes conficeret, quas apud iudices haberent Athenienses, idque in veris, non fictis, ut sophistae solebant, causis, plurimum valuisse ad immutandam dicendi rationem. Confirmat vero hanc nostram sententiam valde oratio tricesima quarta quae est in nostro orationum Lysiacarum corpore, conservata a Dionysio Hal. V, p. 525 sq. R.: „*περὶ τοῦ μὴ καταλῦσαι τὴν πάτριον πολιτείαν Ἀθήνησιν.*“ Scripsit hanc orationem Lysias uni ex viris qui tum reipublicae praeerant (*τῶν ἐπισήμων τινὶ καὶ πολιτευομένων* Dionys.) ad impugnandam rogationem, quam Phormisius quidam tulerat, ne cui nisi qui agros possideret administrandae reipublicae participi esse liceret. Et haec Lysiae oratio non una modo ratione magni momenti est ad disquisitionem nostram. Nam eam orationem primam esse quam Lysias post rempublicam Atheniensem triginta viris eiectis restitutam conscripserit, cum Blassio A. B. I., p. 442 pro certo putamus qui recte admonuit, ne litem

quidem contra Eratosthenem prius a Lysia agi potuisse quam de reipublicae statu cives inter se convenirent. Iam vero quod vir in republica gerenda valde excellens a Lysia petivit, ut orationem sibi componeret, dilucide demonstrat, iam id temporis, ergo ante orationem duodecimam Lysiam summa eloquentiae gloria floruisse. Et cui oratori tale munus deferretur, eum iam antea *δεινὸν τὸ λέγειν* etiam in rebus publicis necessario sese praestitisse quis est qui neget? Huc accedit quod dicendi forma qua Lysias in hac oratione utebatur eadem est quam oratio XII praebet. Sequitur igitur ut prorsus ineptum sit praedicare, inde ab oratione duodecima novam quandam eloquentiae Lysianae speciem cerni posse.

Sed ut pergamus res Lysiacas enarrare, septem annos Lysias Athenis vixit, donec, ut ipse XII, § 5 sq. nobis narrat, triginta virorum dominatio ol. 94, 1 — a. 404 permagnam vitae commutationem effecit. Cum enim Lysias et Polemarchus magnis affluerent divitiis, fieri non potuit quin XXX tyrannorum avaritiam excitarent; propterea in eorum inquilinorum numero quos in vincula conicere decreverant etiam uterque frater erat. Et Polemarchus a XXX viris indicta causa cicutam bibere coactus est; ipse Lysias vix Megara fuga petivit. Interea Thrasybulus Stiriensis cum aliis exsulibus Phyle occupata inde adversus Athenas ipsas profectus urbemque triginta virorum dominatione liberare adortus est. Quos ut adiuvaret, Lysias infenso in eos animo, qui se fratre, patria, opibus privassent, exiguas divitiarum reliquias, quas ante Athenarum deditionem fortasse Megaris in tuto collocavisse eum suspicari nobis licet, libenter ad Thrasybuli expeditionem contulit. Narrant haec Pseudoplutarchus et Photius, narrant etiam Iustinus (V, 9) et Orosius (II, 17), neque est cur hanc narrationem in dubium vocemus, cum ex ipsius Lysiae oratione *περὶ τῶν ἰδίων ἐνεργεσιῶν*, de qua infra dicendum erit, hausta esse videatur. Contulit igitur L. duo milia drachmarum et ducentos clipeos misit.[1]) Praeterea cum

[1]) Fortasse Megaris emporium habuerat unde clipeos quos in Piraeeo fabricandos curabat venderet.

Hermone quodam [1]) ablegatus trecentos (Ps.-Plut. et Phot.) aut quingentos (Iust. et Oros.) milites misit et Thrasydaeo Eleo hospiti [2]) persuasit ut duo talenta contribueret. Num Lysias Thrasybuli expeditioni sese ipse aggregaverit, non est traditum, tamen fortasse e Lys. XII, 53 concludi potest ubi orator numero plurali utitur: *ἐπειδὴ εἰς τὸν Πειραιᾶ ἤλθομεν.* Sed hoc non ita premendum est; cave vero cum Frohbergero (Lys. oratt. select. p. 5, ann. 34) ex Aeschin. c. Ctesiph. § 195 argumentum elicias; nam cum *στεφανοῦν* quod antea ibi legebatur falso additum esse iam diu intellexerint viri docti, illud, „*ἕνα τῶν συγκατελθόντων αὐτῷ ἀπὸ Φυλῆς*“ non ad Lysiam, sed ad Thrasybulum referendum est. Reverterunt autem exsules Thrasybulo et Archino ducibus die duodecimo m. Boëdromionis ol. 94, 2 — 21. die m. Septembris a. 403 a. Chr. n., id quod ex Plutarcho de glor. Athen. c. 7, p. 340 comperimus. Illo die populi contione convocata Thrasybulus sententiam tulit, ut reconciliatio, quae inter eos qui Athenis remanserant (*οἱ ἐξ ἄστεος*) et exsules qui Piraeeum occupaverant (*οἱ ἐκ Πειραιῶς*) Pausania Lacedaemoniorum rege potissimum auctore incohata erat, lege sanciretur et iureiurando confirmaretur ab utrisque populi partibus.[3]) Simul vero in eadem contione Thrasybulus legem tulit, ut Lysias quippe qui de Atheniensium republica optime meritus esset civitate donaretur, et sententia facile vicit (Ps.-Plut. et Phot.). Distincte excepti et extra oblivionis legis beneficium collocati sunt XXX viri et XI viri et decem qui in Piraeeo magistratum gesserant, nisi coram populo magistratuum rationes referrent: Xenoph. Hell. II, 4, 38. Andoc. I, 90, cf. Scheibe: „Oligarchische Umwälzung in Athen“ p. 137 sq.

---

[1]) Sic Photius; Thucyd. VIII, 92; Plutarch. Alcib. 25. Baiter et Sauppe Oratt. Att. frg. p. 234. Ps.-Plutarchus habet Hermana.

[2]) Sic recte Phot., Xenoph. Hell. III, 2, 27; Pausan. III, 8, 4. Ps.-Plut. falso Thrasylaeum tradit.

[3]) Sequor in temporibus *ἀμνηστίας* quae vocatur definiendis R. Grosserum qui commentatione „Die Amnestie des Jahres 403 v. Chr.“ Minden. 1868. edita hanc quaestionem ad certum redegisse mihi videtur.

Ac plerique eorum iam diu ex urbe fugerant partimque Eleusinem sese receperant ubi pro vita suisque re`us contra populum Atheniensem pugnarent. Phidon tamen et Eratosthenes, qui Polemarchum Lysiae fratrem in carcerem deduxerat, in urbe remanserant (Lys. XII, 54). Sed vix respublica restituta et iudicia redintegrata erant (Xen. Hell. II, 4, 43), cum Lysias, quem praeter iniuriam sibi ipsi illatam praecipue pietas impulit ut a fratris interfectore poenas peteret, Eratosthenem in iudicium vocavit. Qua autem actionis forma L. Eratosthenem postulaverit, dissentiunt viri docti, quorum altera pars Eratosthenem cum rationem redderet a Lysia accusatum esse putat: Hoelscher p. 78. Meier: de bon. damn. p. 188. Blass. A. B. 1, p. 540, altera caedis (*φόνου*) causam fuisse pro certo habet: Scheibe: ed. Lys. p. LXXXI. Frohberger: l. l. p. 17, J. J. 82, 9, p. 408 (1860). Rauchenstein: Lys. orat. select. p. 17. Philol. Gotting. X, p. 597 sq. Grosser: p. 16. Et Grosserus (p. 16), cui hac in re assentior, idem mihi persuasit, hanc orationem, antequam Eleusis ab Atheniensibus expugnata et qui illuc se receperant oligarchici homines interfecti essent, habitam esse. Ac duo sunt argumentorum momenta, unum quod XXX viri etiamtum, cum oratio habebatur, Eleusinem obtinebant: § 80, 94; alterum quod illa oblivionis lex paene nusquam a Lysia tangitur, quam inter omnes cives ne oligarchicis quidem exceptis demum post Eleusinem captam convenisse recte statuit Grosserus. Haec vero ipsa res maximam persuadendi necessitatem mihi adhibet, ut Eratosthenem non *ἐν εὐθύναις* a Lysia arcessitum esse existimem. Nam si Eratosthenes facinorum suorum rationes reddere voluisset, illa exceptio, quam supra commemoravimus, ei ius provocationis dedisset, de quo Lysias nimirum in oratione, in qua saepius hypophorae figura usus est, (§ 27, 50) dixisset.

Porro probabile videtur Grossero, Lysiam ut civem adversus Eratosthenem *φόνου* actionem intendisse, quam suspicionem falsam esse probari non posse arbitror. Nam quod Scheibius (Oligarch. Umwälz. p. 105) demonstrare voluit, Lysiam nunquam civitate Atheniensi esse donatum

et quae Ps. Plut. et Phot. de ea re narrarent ex Aeschinis loco III, 195 perperam ad Lysiam relato exorta esse, mihi non persuasit, cum praesertim maximum eius argumentum facillime infringi possit. Scheibius enim hanc potissimum ob causam illam narrationem ficticiam esse contendit, quia Thrasybulo auctore illud populiscitum esse factum traditur, quocum Lysiam permagnas exercuisse inimicitias ex multis Lysiae locis argumentatur. At imprimis or. XXV, § 28 animadvertamus, quo loco L. duces Piraeensium summis effert laudibus. Atque haec oratio, ut Frohbergerus p. 177 et Grosserus p. 21 evicerunt (cf. § 3. 17. 20. 21 sq. 28), conscripta est a Lysia brevi post orationem XII, ol. 94, 2 — a. 403 exeunte vel 402 ineunte. Eo igitur tempore inimicitiae inter hos viros nullae intercedebant. Si ex orationum posteriorum locis (XVI, 15; XXVIII. 4. 8. 13. XXIX. 7) et ex oratione *κατὰ Θρασυβούλου*, quae apud Harpocrationem, Photium, Suidam citatur, si quidem genuina est, voluntatis commutatio perspicitur, quidni annis praeterlapsis discidium factum esse potest? Fortase Lysias Thrasybulo succensuit, quia eius neglegentia accidisset ut postea rursus civitate privaretur. Nam cum Thrasybulus non ex lege egisset et sine senatus consulto seutentiam ad populum tulisset, Archinus eum *παρανόμων* accusavit; et quanquam Lysias ipse se defendit — nam tum orationem *περὶ τῶν ἰδίων εὐεργεσιῶν* sive *ὑπὲρ τοῦ ψηφίσματος ὃ ἐγράψατο Ἀρχῖνος τὴν πολιτείαν αὐτοῦ περιελών* (Ps.-Plut. W. B. p. 242, 42. Fr. p. 836 A) ab ipso Lysia habitam esse valde probabile est —, tamen orator repulsam tulit et e civitatis statu deiectus est: in eorum inquilinorum numero qui *ἰσοτελεῖς* vocantur, cui iam ante anarchiam eum ascriptum esse perquam est credibile, usque ad mortem Athenis vixisse Lysias putandus est. Cum autem XXX viri eum omni sua re familiari orbasse[nt], tum coactus est, ut ex ea dicendi facultate, quam antea ani[mi] causa exercuerat, quaestum sibi pararet aliisque pretio o[ra]tiones scriberet quibus in iudiciis uterentur. Et Lysiam [pa]tronum exoptatissimum fuisse ex numero orationum patet, quas eum plurimas omnium oratorum Graecorum conscripsisse Cicero Brut. 16, 63 et de orat. II, 22, 93 testatur. Nam apud veteres

circumferebantur Lysiae orationes 425, ex quibus secundum Dionysii et Caecilii iudicia (Ps.-Plut. W. B. p. 242, 40. Fr. p. 836 A) 230, secundum Photium 233 genuinae erant (cfr. Studemund: Herm. vol. II, p. 434). Quibus temporibus singulae Lysiae orationes quas novimus attribuendae sint, uberius definire hic nostrum esse non potest; ablegamus ad Hoelscheri, Westermanni, Scheibii, Falkii, Baiteri et Sauppii, Blassii libros.

Restat ut de Lysiae mortis tempore pauca referamus. Nam quae de Lysiae legatione ad Dionysium Syracusanorum tyrannum suscepta prius credita sint, falsa ea esse hodie nemo iam diffitebitur, ex quo H. Sauppius illum locum, quo haec narratio nitebatur, Lys. XIX, 19 in hunc modum optime correxit: *Εὐνόμου Διονυσίου* (codd. *καὶ Λυσίου*) *φίλου ὄντος καὶ ξένου.* (Vid. Rauchenstein. p. 11 annot). Ut quo anno Lysias mortuus sit definiamus, primum quae veteres, qui oratoris vitam descripserunt, tradunt, nobis respicienda sunt. Ac Dionysius Hal. quidem de mortis anno nihil dicit; ea enim quae de Lys. XII. p. 479 R. legimus (*εἰ γὰρ ὀγδοήκοντα ἔτη γενόμενον θήσει τις τελευτῆσαι Λυσίαν ἐπὶ Νίκωνος ἢ ἐπὶ Ναυσινίκου ἄρχοντος*) nobis non licet ita interpretari, ut Dionysium tradere statuamus, Lysiam revera octoginta annos confecisse. Pseudo-Plutarchus autem tres annorum numeros refert: Lysiam aut 83 aut 76 aut plus quam 80 annos vixisse; item Photius inter 83 et 76 annos haesitat; uterque vero scriptor addit, Lysiam vidisse Demosthenem infantem, quem ol. 99, 4 — a. 382 natum esse plerique consentiunt. (cf. Ps.-Plut. vit. Demosth. W. B. p. 290, 237. Fr. p. 848 C.). Iam vero quaeritur quid ex genuinarum Lysiae orationum temporibus comperiamus. Illae Iphicrateae orationes, quibus Vaterus summam attribuit auctoritatem, nullum faciunt momentum, quoniam Lysiae abiudicandae sunt: cf. p. 14 sq. Ceterarum autem orationum, quarum tempora eruere possumus, nulla ultra ol. 100 transgreditur; quam ultimam a Lysia esse conscriptam nos possumus demonstrare, decimam *κατὰ Θεομνήστου*, ol 99, 1 — a. 384 cum Kruegero ad Clint. fast. Hell. p. 113 et Westermanno et Scheibio ponendam esse statuimus. Hanc vero orationem confecit Lysias, cum iam septuagesimum quintum ae-

tatis annum agebat: unde cognoscimus Lysiam usque ad summam senectutem ingenii alacritate floruisse et eloquentiae arte. Ponamus igitur, Lysiam admodum senem nonnullis annis post ol. 99, 1 — a. 384 a. Chr. n. de vita decessisse; quo vero anno, equidem ut incompertum in medio relinquam.

Vita auctoris.

Natus sum Bernardus Pretzsch Cizae in Saxoborussorum finibus a. d. VIII. Id. Novembr. a. h. s. LV patre Augusto, quem mihi abhinc septem annos praematura morte ereptum esse valde doleo, matre Friderica e gente Wolf, quam adhuc superstitem veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus a. LXVIII in gymnasium episcopale Cizense receptus sum, ubi inde a quinta classe altiores deinceps ascendi gradus, praeceptoribus usus et humanissimis et benevolentissimis quibus debitam semper habebo gratiam. A. h. s. LXXV maturitatis testimonio instructus universitatem adii Berolinensem, cuius civis nomen apud philosophorum ordinem professus fui per octies sex menses. Litteris Graecorum, Romanorum, Germanorum operam dedi, praeceptoribus usus hisce potissimum viris doctissimis: E. Curtius, J. G. Droysen, Ebel, Harms, Huebner, A. Kirchhoff, Muellenhoff, Paulsen, Robert, Scherer, de Treitschke, Treu, Vahlen, Wattenbach, Weber, de Wilamowitz-Moellendorf, Zeller. Ad exercitationes philologicas et epigraphicas Kirchhoffius, ad Aristotelicas Zellerus, ad theodiscas Muellenhoffius aditum benigne mihi concesserunt. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas. Examen pro facultate docendi Berolini sustinui a. d. X. et IX. Kal. Decembr. a. LXXX, examen rigorosum Halis Id. Januar. h. a.